



# **Christianae isagoges ad Christianorum theologorum locos communes, libri II**

<https://hdl.handle.net/1874/432349>

3

ye

CHRISTIANAE  
ISAGOGES AD CHRI-  
STIANORVM THEO-  
LOGORVM LOCOS  
communes, libri II.

LAMBERTO DANÆO  
*Autore.*

CVM PRÆFATIONE  
THEODORI BEZÆ.



GENEVÆ,  
APVD EVSTATHIVM VIGNON.  
M. D. LXXXIII.

CHRISTIANITY

IN THE

UNITED STATES

OF AMERICA

Volume II

THE

CONSTITUTION

OF THE



BY

WILLIAM WALKER

NEW YORK

  
CHRISTIANO LECTO.

RI THEODORVS BEZA

gratiam &amp; pacem à Domino.

**A**NNVS iam agitur quartus ex quo Lambertus Danaus, homo incredibilis laboris ac diligentia, & tum meus in Theologia professione collega, Petri Lombardi sententiarum libros cepit repurgare: à quo labore quum eum dehortari cepissem, & admonere ut ipse potius vera Theologia compendium aliquod methodicum ederet, quàm scholasticos istos crabrones lacefferet: tum ille diligentis esse agricola munus respondet carduos & sentes prius euellere quàm agrum serere, admonente nos praesertim Apostolo non tantum veritatis doctores, sed etià contradicentium reprehensores esse nos in Ecclesia oportere. Perrexit igitur in suo instituto Danaus, & in primum Sententiarum librum animaduersiones edidit, idem fortassis in reliquos factururus, nisi importune Lugdunensium Hollandorū flagitationes, illum huic Ecclesiae ereptum tam longinquam profectiōnē suscipere coegissent, eoque itinere cōfecto excepissent tanta difficultates, ut mirū mihi quidē ac penè incredibile videatur illū in tā turbulēto statu, quicquā seriō meditari nedū scribere potuisse. Meditatus est tamē & scripsit nō pauca



P R Æ F A T I O.

& ea quidē, ut spero, Ecclesia Dei minimē inu-  
 tilia. Inter hæc autē quū ad nos hæc quoque in  
 ipsius Locos cōmunes Isagoge peruenisset, quan-  
 uis sciam mea cōmendatione minimē indigere  
 quod esset à Danæo profectū, & futurū non du-  
 bitē quin plus otij & trāquillitatis nactus, hæc  
 eadē rursus in manus sit resumpturus, & ex  
 bonis etiā meliora redditurus, atque ad eō con-  
 ueniente tanto Locorū Cōmunium operi prefa-  
 tione ipsemet exornaturus: nolui tamen hanc  
 mutua nostra in Veritatis doctrina cōsensionis  
 ppetuæq; in Christo cōiunctionis testificāda oc-  
 casionē prætermittere, quod posteris etiā & te-  
 stimonio & exēplo esse velim. Caterū quod  
 ad istud scriptiois genus attinet, cōstat quidē  
 illud, oportere nos quā diligētissimē scriptu-  
 rā ipsam legere ac meditari, ut & Dei cogniti-  
 onē & verā ipsius colēdi rationē inde totā pe-  
 tamus: sed quū nō sit cuiusuis singula doctrina  
 Christiana capita cōnectere, nec quæstiones sa-  
 na doctrina repugnantes vel omnes conicere,  
 vel auditas ad suam <sup>solam</sup>, ut Rhetores loquun-  
 tur, reuocare: magna certē gratia doctissimis  
 hominibus ætatis nostræ debetur, qui etsi non  
 pari successu & industria, pro suo tamen quisq;  
 modulo, verā Theologiā redigere in cōmunes  
 quosdā Locos studuerūt, ex quibus nō tyrones  
 modo summaria quādā veræ de Deo doctrina  
 cōprehensam haurirēt, ad quā postea distributē  
 cōtrouersias omnes referrēt, sed ipsi quoq; exer

PRÆFATIO.

*citati Doctores in suis ad certū scopum ordine  
 cōferēdis studiis, nō mediocriter possent adiu-  
 uari. Idē conatū non olim fuisse Lōbardū arbi-  
 tror, laudabili certē, sed nō eo qui optādus erat  
 successu, quæ fuit illorū tēporū infelicitas. Huic  
 seculo successit aliud multo infelicius, dū quisq;  
 sibi, sacris ipsis neglectis literis, librū illū vnum  
 Sentētiarū explorādū discutiēdū, exagitādum  
 proponit, quasi videlicet ab illorum quatuor li-  
 brorū explicatione totus Christianism<sup>9</sup> pēderet.  
 Sic mox eō deuētū vt, quū neq; in Ecclesia, neq;  
 in scholis aliud quā inde petita & mira sophi-  
 stica exagitata quæstiones sonarēt, misera qdē  
 plebecula nihil istarū spinosissimarū quæstionū  
 intelligens, in illo solo qualis dictabatur idolo-  
 latrico cultu secura cōquiesceret, quasi iudicā-  
 va esset ad paradīsus Cæcis: q; verō Doctores haberi  
 volebāt in infinitas sectas diuisi, in suas vnas  
 digladiationes intenti nihil aliud præterea cu-  
 rarent. Hoc ita esse vt dico, partim editæ Magi-  
 strorū nostrorū illis temporibus cōciones cōuin-  
 cunt, qbus nihil neque stultius neq; impuden-  
 tius fingi possit, quasi ex professo Christianam  
 Religionem deridendā propinire studuerint:  
 tum illorū in quatuor Sententiarū libros editæ  
 librorum plaustra cōarguunt. Hanc orbis Chri-  
 stiani miserrimam conditionem tandem mise-  
 ratus est nostra memoria Dominus, dono lin-  
 guarū quasi cælitus rursus in terras demissa,*

P R Æ F A T I O.

& singulari planè deinceps afflatu impulsis  
 certis nunquam satis laudandis viris, qui ex-  
 pulsa barbarie bonas artes ac præsertim pro  
 Cimmericis illis sophisticis tenebris verà illam  
 ac germanam Logicen à peripateticis unis  
 declaratam, in scholas reuocarent. Hac autem  
 laus præcipuè in Gallijs quidem Iacobo Fabro  
 Stapulesi, in Germania verò magno illi & pla-  
 nè incomparabili viro D. Philippo Melæcthoni  
 debetur. Et hæc quidem linguarū ac bonarum  
 artium instauratio, mox fuit ad extrudendam  
 quoque Idolomaniã <sup>magis</sup>, quo in opere ad-  
 huc hodie laboramus. Hallucinatur verò ma-  
 gnopere, & certa cū humani generis pernicie,  
 qui artem illam cuius beneficio res quasuis tū  
 verè definire, tū commodè dissertiri docemur,  
 ac etiã deinceps falsas conclusiones à veris cer-  
 ta quadam & inuariata methodo discernere,  
 (id est, qua facultatem illam qua à bestis ho-  
 mines distinguuntur excolit ac perficit) à The-  
 ologorum scholis eliminandam existimant, ho-  
 mines certè vel manifestè improbi, vel prorsus  
 agrestes, & ipsius rationis expertes. Quid enim  
 quæso?, Num vel confusè & perturbatè in Ec-  
 clesia docendum vel temerè & ineptè quidpiã  
 concludendum? Quæ igitur hæc insania est,  
 scientiam illam diuinitus nobis traditam, tan-  
 quam profanam, à sacris studiis arcere, quæ v-  
 natum ordinis in quavis re tradenda modum,  
 tum



P R Æ F A T I O.

tum consentanea à dissentaneis discernendi  
 viam commonstrat? Neque verò quum hoc di-  
 co, sacra cum prophanis permisceo, vel ad Dia-  
 lecticorum Regulas Diuinam illam sapiētiam  
 adstringo. Absit enim, absit, ut vel Theologica  
 principia, vel quæ ex principiis Theologicis  
 deducuntur nostræ Religionis capita, ex Philo-  
 sophorum libris petenda censeam, vnde nihil  
 aliud quàm illa *Ἰουδαίου νόμος γινώσκεις* oriretur, à Pau-  
 lo disertè, & quidem optimo iure, reprehensa.  
 Sed hoc dico, hoc studiosis omnibus etià atque  
 etiam inculco, ut hoc præsertim tempore, sophi-  
 starum callidissimorum, sub ipsius præsertim  
 Iesu nomine grassantium feracissimo, Logicen,  
 non illam nouitiam, quæ homines triduo *Ἰουδο-  
 διαλεκτικῆς* reddit, euersis ipsius tam artis  
 quàm naturæ fundamentis: sed veram illà ac  
 genuinam, qualis est ab Aristotele perfectis-  
 simè tradita, diligēter discere, meditari, exer-  
 cere sustineāt, si veritatis quidem *διδασκαλῆς*, fal-  
 sitatis verò *ἰσχυρισμοῦ* haberi in Ecclesia velint.  
 Neque verò ubi artem illam cognouerint, lō-  
 gius fuerit ipsis abundū ut perfectum habeāt  
 ipsius artis exercēdæ & exemplū. Hoc enim aio, hoc  
 affirmo, ut omnes omnium cruditissimorum homi-  
 nū libros accuratè exactaq; methodo cōscriptos  
 euoluamus, nullū inter eos repertū iricū Paulo  
 nostro cōferendū, siue ordinē ipsum docendū in  
 genere, siue argumētorum vel *ἀραο κεινὸν σινῶν* vel

P R Æ F A T I O.

~~κατασκευασμένων~~ dispositionē, siue deniq; ipsam de-  
 monstrationē ~~ἀναγινώσκοντες~~ spectemus: quod hætenus  
 vō animaduersum, effecit, vt tãri viri scripta,  
 qbus nihil habet Ecclesia pretiosius, sint à pau-  
 cis qdem intellecta, à plurimis verò in alienū  
 prorsus sensū, auctore p̄serim Origine, detorta.  
 Artē igitur ipsam (q̄dni enim artē vel etiā ~~ἐπι-  
 στήμη~~ appellē, quæ artiū reliquarū veræque ~~ἐπι-  
 στήμης~~ modū ac rationem docet?) vel ex ipso ab-  
 solutissimo illius Magistro Aristotele, vel (si quis  
 tā exactē & accuratē singula quæ ille docet, sibi  
 cognoscēda nō putat), ex erudito quoqiā cōpen-  
 dio disci, vsū autē artis in nostro illo modis o-  
 mnibus diuinissimo Paulo animaduerti velim:  
 quod q̄ sedulò fecerit, hoc illi ausim certò polli-  
 ceri, fore vt hac ratione breui optimus Theolo-  
 gus euadat, futurus etiā verè Christianus, si ad  
 hāc regulā vitā morēsque suos cōposuerit. Vale  
 Christiane Lector, q̄squis es, & verè piorū ac  
 Doctorum hominū utilibus in tui gratiam sus-  
 ceptis laboribus faue. Geneue 20. Augusti  
 anno temporis ultimi CIO IO XXGIII.

TYPOGRAPHVS LECTORI S.

**T**ibi, beneuole Lector, D. Danti Locos communes ad fi-  
 nē nondum perductos esse scirō: non inutile tamen fo-  
 re existimaui, si in vñm Theologiæ studioforum iam  
 nunc primam eorum locorum partem, cui autor vltimā manum  
 imposuisset, ederem. Itaque eam nunc tibi communico, reliquas  
 quum primum ad me perlatæ erunt, itidem communicaturus. Vt  
 autem earum interea specimē habeas, en tibi synopsis ipsius au-  
 toris hic inferuimus, qua compendio quodam perspicuo totam  
 hanc suam tractationem cōplexus est. Tu his fructu nō ingratus.



CHRISTIANAE ISA-  
GOGES AD CHRISTIA-  
norum Theologorum Lo-  
cos communes,  
libri II.

LAMBERTO DANAEO AVTORE  
Liber Primus, qui de DEO.

CAP. I.

*De hac voce DEVS.*

**D**EV S nomen est potestatis, & commune: non autem proprietatis. Proprium enim Patri nomen est, Pater: Item Filio, Filius: & Spiritui sancto, Spiritus sanctus. Est igitur hoc nomen diuinitati, diuinæque naturæ significandæ generaliter accommodatum, & institutum: & omnibus tribuitur, quibus vel diuinitas competit, id est, ipsa natura & essentia diuina: vel eius naturæ aliqua proprietatis communicatio sit. Itaque in terris etiam Dii appellantur homines Psal. 82. Ioan. 10. vers. 32. 1. Corinth. 8. vers. 5. qui nimirum aliquo præ cæteris legitimo honore ex-

A. J.



Cap. 2. ISAGOGES CHRISTIANÆ

cellunt, quibusque aliqua diuinæ maiestatis, & potentia, & gratia cōmunicatio facta est, veluti Magistratus: sed & boni etiā Angeli Dei nomine Psa. 8. v. 6. appellati sunt. Abusiue tamen, aut potius extensiuè & Angeli, & homines Dii nominantur: propriè autē Dei nomen illi nature duntaxat competit, quæ vna & sola est diuina. De hac autem propriè & solū hoc loco agimus. Θεός dictum Plato putat quasi θεοῦ τῆς, id est, currentem, quia omnia peruadit: alii à verbo θεῖν, id est, videre, quoniam omnia videt. Sextus Pompeius à voce θεός, quòd timeatur. A Græca enim voce Θεός Latini suam hanc vocem *Deum* deduxerūt. Denique vt vnus natura Deus est, sic quidam non natura dii, Paulus Gal. 4. vers. 8. sed nuncupatiue tantūm (vt loquitur Bernard. Serm. *Missus est*) non autem substantiuè.

C A P. II.

*Quid sit DEVS.*

**Q**uemadmodum Deus immēsus est, & incomprehensibilis, ita humana locutione vel meditatione includi comprehendique non potest. Itaque nulla eius definitio potest afferri, quæ omninò eius naturam comprehendat. Et tamen verum est, quod ait Bernard. lib. 5. de considerat. Deum solū esse, qui nūquam frustra queri potest, ne quidem tunc quæri inueniri nō potest. Omnia quidem sub decem Dialecticorum Prædicamentis continentur, tamen nullum



lum ex his propriè Deo conuenit. Humana enim vel creata tantùm illis decem comprehenduntur. Nisi fortè sub prædicamēto Substantiæ sit Deus. Est enim Deus quædam substantia: quia quod nulla est substantia, nihil est: & aliquid esse, est substantiam esse. Si autem, quis quid sit Deus, inuenire non potest, piè tenendum est, Quid non sit. Non parua est inchoatio cognitionis Dei, si antequàm possumus nosse quid sit, incipiamus iam nosse quid nō sit, August. ep. 222. Ex eo enim facilius postea intelligemus, quid sit. Terram cogitas? nō est Deus, ait Augustinus: Mare cogitas? non est Deus: Cælum, Angelos, Homines cogitas? non est Deus. Bern. Serm. 10. in Psal. *Qui habitat: Nota omnino sententia est, in præcipuis quibusque partibus nostræ fidei. Quid non sit, quàm quid sit, & sciri posse facilius, & periculosius ignorari. At Philosophi veritatem quidem fixam viderunt, sed de longinquo, neque quantum satis est ad animarum salutem. Hæc formarum varietas, & numerositas specierum in rebus conditis quid, nisi quidam sunt rationis demonstrantes quidem quia sit, à quo sunt, non tamen quid sit prorsus desinientes? Itaque de ipso videtur, sed non ipsum.* Idem tamen Bernard. Serm. 31. Cantic. & lib. 5. de cōsideratione, variè idem demonstrat. Describi porrò Dei natura ex variis eius attributis potest potius, quàm definiti. Et quia nomen est significatio eius rei, quæ comprehendi potuit, quantum potuit: nullum est Dei nomen, quod totam eius naturam cōplectatur, præter nomen I E H O V A H. Nā quod sc Deus quibusdam nominibus donat, veluti

Cap.2. ISAGOGES CHRISTIANAE

quum se bonum, quum iustum, quum misericordem appellat, non tam totam Dei naturam explicat illa, quàm eius proprietates quasdam & attributa, quæ illi conueniunt. Sed quia auemus Deum cognoscere, & summa quædam eius descriptio cognitu utilis est, quid sit Deus, ex variis eius proprietatibus utcunque definiatur. Atque hæc tamen ænigmatica erit tantùm, quia nulla dari potest, quæ planè & satis Dei naturam exponat, descriptio. 1. Deus, est summum bonum, quo superius nullum est, idèmq; incommunicabile. 2. Deus, est natura non creata, sed creatrix. 3. Deus est, quod conscientia agnoscit esse summum, maximum, æternum, innatum, perfectum, sine initio, sine fine. Paulus ita descripsit: est is, à quo, per quem, & in quem sunt omnia, cui gloria in secula debetur Rom. II. vers. 36. 4. Deus est essentia spiritualis, intelligens, æterna, verax, sapientiss. potentiss. quæ omnia regit, & quæ certam obedientiam sibi in Ecclesia elegit.

5. Deus est essentia inuisibilis, omni creaturæ incomprehensibilis, totam vitam, totam sapientiam, totam æternitatem simul essentialiter possidens, idem ipsa vita, ipsa sapientia, ipsa æternitas existens, omnem creaturam instar puncti in se continens. Hic qualis & quantus est, ne ab ipsis quidem Angelis, qui semper ante faciem eius stant, comprehendi potest. Ezech. 10. Exod. 25. vers. 10. Mat. 18. vers. 10. Itaque cherubim velare faciem suam dicuntur, & lucem inaccessibilem ipse habitat, 1. Tim. 6. vers.

vers. 16. & nomen eius plenum maiestate esse dicitur Psal. 68. vers. 5. & ipse nulli rei comparandus est Psal. 86. vers. 8. quoniam omnino humanis sensibus est incomprehensibilis. Quicquid enim Deum dixeris, magis creaturam ipsius, quam ipsam expresseris. Hic certè est, qui à Philosophis *natura* appellatur, causas rerum nexus cōtinens. 6. Bern. li. 5. de considerat. Quid est Deus? Quod ad vniuersitatem spectat, finis: quod ad electionem, salus: quod ad se, ipse nouit. Non minus pœna peruersorum, quam humilium gloria. Est voluntas omnipotens, benevolentissima virtus, lumen æternum, summa beatitudo, creans mentes ad se participandum, &c.

## CAP. III.

*An sit DEVS.*

**A**N sit autè aliquis Deus, id est, aliqua huiusmodi res & essētia, penè superfluū est quærere, quū tot vbiq; eius argumenta, eaq; certissima occurrant. Quia tamen sunt quidā homines Epicurei, alii prorsus *atheu*: & iā pridem Diagoras quidā in principio sui libri scripsit, *Sintne Dii omnino, an non sint, nescio*, Colligendæ sunt aliquot rationes & loci communes, quibus vti poterimus, si erit necesse probare, quòd Deus est aliquis, id est, aliqua huiusmodi essentia, qualem antea descripsimus. Nam etiam ex Scholasticis quidam, velut Occam in Cētelog. ait, hoc magis præsupponi, quam



Cap. 3. ISAGOGES CHRISTIANÆ

probari, Nimirum esse aliquem Deum: quod est falsissimum. Melius Thomas in 1.2<sup>a</sup>. Artic. primo. Non tamen omnes, qui Deum esse negant (quales quosdam esse dicit Psal. 14) diffidentur ullam esse substantiam, quæ sit Deus: sed illud tantum negant, eam naturam, quam Deum esse tacito conscientia suæ testimonio sentiunt & fatentur, res humanas regere & curare, ut Dei providentiam illi negent potius, quam Deum ipsum, cuius sensum & testimonium in sese extinguere non possunt. Nam ne ipsi quidem saevissimi & immanissimi Tyranni unquam hunc diuinitatis sensum & metum extinguere potuerunt. De Caligula enim crudelissimo & superbissimo Romanorum imperatore traditum est à Suetonio in Calig. cap. 51. eum ad tonitrua & fulgetra examine pavuisse, & latebras quaesivisse. Ad hoc nemo est, qui non verè sentiat esse Deum. Sed etsi quis ausus fuerit credere corde quod non sit Deus, nunquam tamen idem ausus est, ait Augustinus, illud dicere, & palam profiteri, ac ne sacrilegi quidem Philosophi, vel ferocissimi latrones. Quod si quis tamen neget esse aliquem Deum, hi sunt loci, per quos esse Deum renuncietur, & fateri cogetur. Thomas in 1.2<sup>a</sup>. Quæst. 2. affert quinque rationes, quibus demonstratur Deus esse, eas Scholastici persequuntur: nos nostras hinc afferemus: scholasticis suas relinquemus.

I Mundi creatio: in qua, & moles, & fabrica tantorum operum, & ordo spectari debet. Neque enim tantum hoc opificium, neque

que tam pulchrum, qualis est hic mūdus, edi, creariq; potuit, nisi ab eo qui fit Deus. Hoc argumento vtitur Paulus Rom. I. vers. 20. Heb. II. vers. 3. Psal. 104. Psal. 8. &c. Et hic verus est finis, propter quem Moses librum de Mundi creatione seu generatione scripsit: omnino enim eò spectauit. Hoc igitur argumēto appositè vsus est Paulus Rom. I. vers. 20. sic & Philosophi quoq; M. Cic. lib. 2. De Natura Deorū Nā si res sese ipsas produxissent, nulla esset alia minor, aut imbecillior.

2 Item mundi cōtinua sustentatio, gubernatio, & tam sapiens administratio ac conseruatio. Hoc genere probationis vtitur Paulus Act. 14. vers. 17. Pluuias enim & tēpora frugifera, quę in legitima anni ordinatione, & mūdi huius gubernatione constituta sunt, (Gen. cap. 8. vers. 22.) dicit esse argumenta diuinę naturę, eiusq; existentię. Eodem argumento Tullius quoque quantūuis extraneus testis vtitur, li. 2. de nat. Deorum.

3 Item infinita rerum mirabilium & supernaturalium exempla, quę non nisi à potentissima quadam natura fieri possunt, & ea, quę omnes creaturas vi sua superet, illisq; dominetur, velut inūdationes maris, chasmata terrę, Regnorum mutationes, & cętera huiusmodi, quę narrātur, fueruntq; palām edita, vt explicatur Exod. 8. vers. 19. Ioan. 3. vers. 2. Nemo potest facere signa quę tu facis, nisi Deus sit cum eo. Act. 2. vers. 11. Denique idolorum euersio, quę in S. Scripturis prædicta fuerat per nomen Christi, ait August. Sermo,

108. de Temp. & postea magno hominū miraculo euenit.

4 Item communis & vna omnium hominum vox & consensus. Nulla est enim tam barbara gens & natio, quæ non fateatur esse aliquem Deum: adeò quidem vt homines falsum Deum habere malint, quàm nullum omnino. Tam altè nimirum sensus & confessio diuinitatis insedit in cordibus nostris. Cic.1. Tusc.

5 Item sensus bonitatis Dei, id est, eius beneficia erga nos immensa, siue corpus, siue animum nostrū spectemus. Nam quod viuimus, quod mouemur, quod item alimur, eius beneficium est. Sic euincit Paul. Act. 14. vers. 15. & tanta eius beneficia nos circumstant, vt à nobis penè palpetur, & facilis cognitu sit. Act. 17. vers. 27. Imprimis verò quod ratiocinamur, mente disputamus, varias item artes excogitamus, & exercemus, Dei beneficio fit. Nominatim autem animæ nostræ immortalitas certissimum est argumentū esse aliquē Deum, ad quem illa proficiscitur, vbi ex isto nostro corpore excefferit, & velut è carcere euolauerit.

6 Item tacitum nostræ conscientie testimonium, quod à singulis nobis sentitur. Illa namque nos ad Dei tribunal sistit, neque inultos esse sinit, si malè quid egimus. Ergo per eam Deum esse, D. ique iustitiā intelligimus & fatemur. Hoc eodem argumēto vitur Paulus Rom. 1. vers. 31. & 2. vers. 15. & Tertul. in lib. de Testim. suo Conscientie.



7 Item Scripturæ authoritas, cuius veritati nemo sanus refragari potest. Illa autē tam apertē Deū esse aliquē testatur, affirmatq̄, cuius prouidentiam nobis, iustitiam & misericordiā quoque describit, vt nihil aliud præcipuē complectatur.

8 Denique Philosophi ipsi profani idipsū naturali quoque ratione probant, nimirum esse aliquem Deum & summum: quoniam in causis & rebus, in quibus est aliquis ordo, necesse sit tandem ad aliquod vnum, summum, perfectissimum, & immobile deueniri, qui est Deus. Aliās enim progressus fieret in infinitū, neque esset vllus ordo, id est, nihil primū, nihil secūdam. Arist. lib. 12. Metaphys. vbique Trismegist. sed in Pimādro præfertim, & Plato quoque. Hoc argumētū Anselmus in Monologio fusē persecutus est. Vera est itaque illa Thomæ sentētia in prima secūda Quæst. 2. *Deum quidē esse, ex effectis ipsius verē demonstrari, eius tamen essentiam ex iisdem perfectē non cognosci, quoniam illa effecta quom̄ sint finita, non sunt ad causam suam, quæ est infinita, nēpe Deum proportionata & exæquata.*

## CAP. IIII.

*Quis sit verus DEVS.*

VIA verus Deus vnus duntaxat sit oportet, non plures (essent enim hac ratione infiniti, & duo infinita esse non possunt: item plura esse non possunt summa bona & perfecta) quis ille sit, intelligi debet. Rom. 3.



Cap. 4. ISAGOGES CHRISTIANÆ

vers. 29. 1. Cor. 8. vers. 5. Eph. 4. vers. 6. Deu. 6.  
Hæc autem quæstio vtilissima à Scholasticis  
prætermissa est. Ergo Marcionitæ primùm er-  
rant, qui putant duos esse Deos, vnum Veteris,  
alterum Noui Testamenti auctorem: illum  
creatorem, seuerum, belli amantem: hunc re-  
demptorem, misericordem, placidum, & pa-  
trem Domini nostri Iesu Christi affirmantes.

Item Valentiniani errant, qui inuexerunt  
nescio quàm longam Deorum profapiam, &  
procreationem aliorum ex aliis nascentium,  
quos *Æónas* nominarunt.

Errant quoque Manichæi, qui duo rerum  
principia constituunt, vnum bonum, alterum  
malum. Boni principium Deum vocant: Malū  
autem Diabolum, quem non putant esse Dei  
creaturam, sed Bono Deo æqualem, & ipsum-  
met Deum. Ergo plura infinita constituunt,  
quod est absurdissimum.

Item falluntur gentiles, pagani, ethnici, &  
omnes qui plures Deos colunt, siue in idolo,  
siue absque idolis, vti Persæ olim, & barbari  
hodie homines. Est enim in cælo *Μοναρχία*, vt  
etiam lib. 12. *Metaph.* agnoscit Aristoteles, &  
vnus Deus, qui omnia hæc temperat, & omnia  
sunt eius creaturæ. Et hæc quidem dii dici non  
possunt: sed vitio humani erroris Dei nomē,  
quod vnus proprium est, factum est commu-  
ne. Porrò quatuor ferè causæ obseruari pos-  
sunt, propter quas Gentiles illi & profani sibi  
Deos illos constituerunt, vel etiam nunc reti-  
nent tam varios, tamque multiplices, vno non  
contenti. Quanquā vnum tamē cæteris maio-  
rem

rem præstantioremque semper induxerunt, atque facti sunt existere, adorandumque esse.

1 Prima causa est, ut eos homines, à quibus beneficia acceperant, quive inter eos aliquo dignitatis, aut virtutis eximie gradu præstiterant, perpetua quadam memoria ad exemplum colerent, atque in eo sui gratitudinē animi testarentur. Hos præstantes viros illi Heroes, tanquam cæteris hominibus diuiniore, appellabant. Post autem Deos nominauerunt: Sic Hercules, Liber, Iupiter in cælum sunt recepti. Cic. lib. Tusc. Quæst. 1. & lib. 2. de Natura Deorum. Lactant. lib. 1. Inst. Christianarū.

2 Secunda causa est, ut earum rerum, à quibus commoda sentiebant, quibusque ad usus vitæ necessarios utebantur, vtilitatem commendarent, tutelamque earum quasi sacrosanctam sancirent, ne temerè à quoquam tolleretur, ac desinerent ex iis commoda illa capere. Sic Persæ, primique Gentiles, Solem, Lunam, astra coluerunt. Sic Ægyptii canem, Ibim, cæpe, allia, felem pro diis habuerunt: quòd ex iis omnibus magnam perciperēt vtilitatem. Plato in Cratylo.

3 Tertia causa est, ut eos Dæmonas, à quibus vexabantur, placarent atque auerruncarēt. Eos enim potissimum Deos constituebant, & iis sacrificia faciebant, ab iis etiam mala futura percontabantur: & illi interrogati oracula ambigua & fallacia reddebāt, tuendæ semper, conseruandæque venerationis illi<sup>9</sup> suæ gratia. Ex ea causa Erynnys, Saturn<sup>9</sup>, Pestis & Febris, & diuinatores dii, ut Apollo, Amphiaræ<sup>9</sup> colebātur.

Cap. 3. ISAGOGES CHRISTIANÆ

Porphyrus id tradit referente Augustino lib. 8. de ciuitate Dei. Eodem modo lemures, manes, & lamiae & eadem de causa pro Diis cultæ. Inde illud Statii, *Primus in orbe Deos fecit timor.*

4 Quarta ratio est, vt vbique & in omnibus rebus se suamque vel cupiditatem, vel studium & artem Dei nomine ambitiosius iactarent, aut quasi honestius defenderent. Itaque omnes Gentiles Deitate ad suã libidinẽ, ac vtilitatem quoque abutebantur. Nam qui rebus politicis & ciuitatibus administrandis operam suam collocabant, ii sub Dei numine stare eas ciuitates reliquis persuadebant, quas propagare, atque florere cupiebant, vt quæque vrbs & ciuitas à quodam numine seruari videretur. Inde quoque Deos tutelares habebat, sub quorum custodia imperium, & status eius ciuitatis defenderetur: hinc dii politici nominati August. lib. 4. de ciuitat. Dei. cap. 27. Qui autem in rerum cognitione & contemplatione naturæ versabantur, ii, vt suum studium ambitiosius commendarent, omnia ad Deos referebant, quorum potestatem se in rebus naturalibus cernere & tractare gloriabantur, seque artis suæ ope prospicere de diis, quod vulgus hominum tantum obscure & crasse credoret. Hinc dii Physici siue Mystici, quos alio modo Philosophi, quàm quæque ciuitas, habebant. Obscure enim Dei naturam tradi utile esse censebant, ne res sacræ à profanis intelligerentur. Ergo sub quibusdam mysteriis eas inuoluendas dicebant, quò foret Dei maiestas ignota venerabilior



bilior hominibus, atque in se sanctior & au-  
 gustior. Denique qui in delectandis homini-  
 bus occupabatur, quales Poëtæ, vt eorum, quæ  
 canebant tradebantque, commendabiles ali-  
 quos auctores haberet, Deos quoque illis suis  
 cupiditatibus inscripserunt, vt si quæ docerent  
 turpia & flagitiosa, sub Dei tamen auctoritate  
 & exemplo (cui ista turpia tribuebant) ab ho-  
 minibus audientibus & legentibus probaren-  
 tur. Hinc dii Poëtici, quorum facta & exem-  
 pla vt à Poëtis canuntur, humano generi sem-  
 per nocuerunt. Vnde Poëtæ etiam turpissima-  
 rum rerum auctores fecerunt Deos: Cædis, vt  
 Martem, & Bellonam: Adulterii, vt Venerem  
 Furti, Mercurium: sceditatum execrandarum  
 Priapum: & sic de cæteris. Adeò quidem, vt  
 Antisthenes Diogenis præceptor cæseret Ve-  
 nerem ipsam Deam, si in terris ageret, telis &  
 lapidibus obruèdam, quòd honestissimas ma-  
 tronas suo exemplo perderet, & tegeret, quia  
 Dea censeretur. Et quia perinde est omninò  
 sine Deo esse, & verum Deum nò colere Eph.  
 2. v. 12. neque ignotus Deus rectè coli potest  
 Act. 17. v. 23. Quis sit verus Deus videamus.  
 Nam illi omnes, de quibus egimus, sunt falsi  
 ac emētiti dii, vt præclare inter Græcos Theo-  
 logos docent Athenagoras, & Theodoretus:  
 inter Latinos Arnobius contrà gētes. Lactan-  
 lib. 1. & August. in libris de ciuitate Dei. Vete-  
 res Christiani scriptores duobus potissimùm  
 argumentis vtuntur, vt ostendât ecquis sit ve-  
 rus ille Deus, qui à nobis solus est colendus.  
 Primum ab ipsorum Gentilium Deorum

Cap.4. ISAGOGES CHRISTIANÆ

& scriptorum auctoritate ductum est, per quæ Deo Israelis ab iis ipsis honos & confessio fit, tanquam soli & vero Deo. Itaque Sibyllinos verus & oracula citant vt probent falsos, non autē veros Deos adorari à gentilibus, Lactant. lib.1. Inst. cap.4.5, & 6. & August. lib.4. de ciuitate Dei cap.31. citat etiam testimonium Varronis id agnoscentis. Et extant hi duo vsus, qui manifestè id docent,

*μῆνοι χαλδαῖοι σοφίαν λάχον, ἢ δ' ἀρ' ἔβραϊοὶ  
 Ἰουδαίων μακίραν θεῖον γένος οὐραγιόνων.*

Secundum argumentum Patrum, sumptum est à comparatione rerum mirabilium, Isa.46. vers. 9. Exod. 34. vers. 10. Psalm. 86. vers. 8: quæ Ecclesiæ Dei contigerunt, quarum similia non euenerunt Gentibus, siue Dei iudicia, siue misericordiam spectes, aded vt ipsa Gentium idola & dii tandem conciderint ad Dei Israel conspectum 1. Sam. 5. vers. 3. Certè oracula illa Deorum tam celebria conticuerunt, & idola conciderunt, & eorum cultus euauit publicato Euangelio.

Tertiū & præcipuum argumētum duci debet ex Scripturæ sacræ auctoritate. Illa enim docet solum & verum Deum esse eum, qui Patribus & Prophetis locutus est 1. Corinth. 9. vers. 6. Hebr.1. vers.1. Leuit.17. vers. 7. séque in suo verbo patefecit Rom.1. vers. 17. & Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Israel appellatur Exod. 3. vers. 6. Matth. 22. vers. 32. Act.7. vers.32. qui se in Christo suo reuelauit. Alium autem nullum præterea esse Deum, Psa. 135. Deut.32. v.39. 1. Ioan.5. v. 20. Itaque magnæ est

est cæcitatibus quære quis sit verus Deus, quæ tot Prophetæ & scripturæ illi amplissima testimonia reddant: & Deus ex suo verbo solo agnosci debeat. Hæc enim scriptura vox veritatis dicitur. Act. 13, v. 26, Psal. 12, v. 7. Hinc illud, *Solus in Indæa notus Deus*, Psalm. 76. ait David.

Quartum denique & vltimum argumentum est, Ex attributorum natura, quæ Deo & vero & soli & semper cõpetunt. Nam cui attributa illa conuenient, is & solus & verus Deus erit. Soli autem Deo Israelis, seu Deo per Evangelium patefacto conueniunt. Ergo solus is est Deus. Sic argumentatur Damascenus lib. 1. cap. 3. de *fide orthodoxa*. Quod vt facilius intelligatur, de Dei attributis agamus. Et hæc quidem omnia docent, quid sit verus Deus, & æquis sit: quæ de attributis dicentur, monstrabunt, qualis sit. Nec enim nisi ex essentialibus Dei attributis intelligi potest, Qualis sit Deus. Ergo sequitur, vt de iis breuiter dicamus. Ac primum de Attributorum Dei differentia.

## CAP. V.

*Qualis sit verus DEVS: ac primum de Attributorum Dei distinctione.*

**I**N genere attributum Dei vocatur, quod ei à sacra Scriptura tribuitur. Verum eorum quæ Deo tribuit Scriptura, duplex est natura & genus,



Alia enim sunt } Proprietates, siue propria ac essentialia Dei attributa, quæ Græci *ἰδιόματα*, & *ἰδιότης* vocant. Accidentia.

Quæ duo inter se differunt, vel in hoc vno maxime: quod quæ attributa nominantur propria siue proprietates Dei, illa ab æterno sunt in Deo, & per ea semper nominari appellarique potuit: veluti Iustitia, Æternitas, Sapiëntia, Bonitas, &c. Semper enim talis fuit in sese Deus, & ab iis nominari potuit, quoniam ea semper & ab æterno in Deo sunt, id est, ab æterno & iustus & bonus est, licet tamẽ illarum Dei virtutum effecta maximè post rerum creationem apparuerint, & sese patefecerint. At quæ attributa vocantur accidentia in Deo, in tempore illi acciderunt, non autem ab æterno, vt infra dicetur: veluti, vt Deus Dominus meus dicatur, est illi accidens (nisi potius nobis). Itaque sine his accidentibus esse & fuisse quidem Deus potest: sine illis autẽ proprietatibus suis omninò ne cogitari quidem fingiue potest esse Deus.

Videndi sunt de his omnibus, id est, de utroque attributorum genere Scolaſtici. P. Lomb. lib. 1. Senten. & Thomas Aquinas in 1. Summæ primæ parte.

Cæterum illud quoque ad ea, quæ de Deo dicuntur, explicanda, est velut præmonitio generalis & *ἐπιόριστος*: Quæ de Deo dicuntur, illa

vel de eo } Propriè  
Metaphoricè  
Relatiuè dici August. Serm. 38. de Tempore.



Illud denique obseruandum est, vt omnis in posterum de Idiomatibus Dei ambiguitas & disputatio, rixæque tollantur, Damascenum quidem lib. 1. de Orthodoxa fide cap. 11. & in lib. Isagoges cap. 3. appellare tam Accidentia, quàm propria rei alicuius, *ἰδιώματα*. Itaq; tres

idiomatis species ille  
 constituit } Essentiale *ἰδιώμα*, vt  
 homini rationale  
 } Personale, vt Socrati  
 esse filiū Sophronisci  
 } Accidentale. Verùm

quauis de verbis contendere nolimus, ipsa vox *ἰδιώμα* ostendit illud quod est acciden-  
 s, aut accidentale alicui rei, commodè idioma  
 dici non posse, vt albedo in homine. De per-  
 sonali idiomate quod scribit Damascenus, ve-  
 rū est: itaque facilè illi assentimur. Sed de es-  
 sentiali idiomate videndum est adhuc, quoniã  
 in eo quoq; distinctio proculdubio est adhi-  
 benda ne quis decipiatur. Nec enim quicquid  
 alicui rei idioma naturale est, idē quoque est  
 eidem essēiale, quod tamen quidam, sed fal-  
 sō, sentiūt. Quare ne naturalia idiomata cum  
 essentialibus confundamus, dicimus, in iis i-  
 diomatibus, quæ neque sūt personalia, neque  
 accidentalia, *ἰδιώμα φυσικόν ἀπὸ τοῦ οὐσιώδους* esse  
 separandum, veluti peccatum post lapsum A-  
 dami est iã homini *ἰδιώμα φυσικόν* (sumus enim  
 omnes, & quidem naturã, filii iræ. Eph. 2. vers.  
 3.) non est tamen peccatum nobis *οὐσιώδες ἰδι-  
 ώμα*. Nec enim essētia humana verè à Christo  
 suscepta fuisset humana, si peccatum esset ho-  
 mini *ἰδιώμα* essentialē, quoniã peccatū naturæ

Cap. 5. ISAGOGES CHRISTIANAE

humanae simul non suscepit in se Christus. Ergo illud est *ἰδίωμα φυσικόν*, quod naturam quidem & speciem totam sequitur, ab ea tamen auelli aliquando re ipsa potest. At illud est *οὐσιώδες ἰδίωμα*, quod non modo ex ipsa specie, seu essentialibus toti speciei partibus ac principiis emanat, sed & necessario, & inseparabiliter in perpetuum toti speciei, quoadiu est, & illius singulis individuis adhæret, velut corpori, circūscriptum esse loco. Hæc idiomata essentialia nunquam abque ipsa essentia ulli rei comunicantur: neque essentia ipsa absque illis idiomatibus participari potest, etsi essentia absque iis, quæ merè & dūtaxat sūt *φυσικά ἰδίωματα*, comunicari potest. Sed de essentialibus idiomatibus verè & rectè dicitur: Quod & nunquam absque sua essentia sint, & quod nunquam sua subiecta egrediatur. Quod idè de Physicis dici non potest. Est enim naturale Soli in gyrū volui, quod ab eo potest auferri. Luci autem vehendæ esse destinatum & aptum corpus, est illi essentialiale, quod illi adimere non potest. Denique vt rem illustrem exēplis, sic dico: Est naturale auibus habere plumas: & tamen illis detractis manet *οὐσία* in illis ipsis auibus. Ergo plumas habere est *φυσικόν ἰδίωμα* auium: non autem *ἰδίωμα οὐσιώδες*. Sic homini *κεφαλήν* est habere caput erectum ad cælū, nec tamen est illi *οὐσιώδες*. Nam etiam nasci possunt homines alio situ faciei. Ergo *οὐσιώδες ἰδίωμα* à *φυσικῶν* est distinguendum. Et vt ad *ἰδίωματα* diuina iam hæc ista accommodemus, dicimus, etsi in Deo sūt omnia attributa essentialia, nec ullū Dei idioma (quale quidem ipsi Deo inest) ulli alii

alii rei, quæ naturâ Deus nō sit, cōmunicari  
 potest: tamen ex sacra scriptura colligi quædā  
 esse huiusmodi Dei attributa seu idiomata,  
 quæ quod ad effecta participētur ab aliis quo-  
 que rebus creatis, velut sapientē esse, bonum  
 esse &c. quæ sūt velut *idiōmata* Dei *φυσικά*: quæ-  
 dam verò, quæ neque quod ad rē ipsam, neque  
 quod ad effecta sua reb' vllis creatis cōmuni-  
 cētur, propterea quod posita est in illis propri-  
 etatib' specifica Dei à rebus creatis differētia,  
 & distinctio. Huiusmodi autē sunt imprimis  
 hæc septem, Increatū esse, ac proinde Æter-  
 num: Infinitum esse, ac proinde Omnipre-  
 sentem, & Ubique esse: denique omni modo  
 vnum seu simplicē esse, ac proinde Immuta-  
 bilem. Nam si Deus nihil suū vlli omnino rei  
 cōmunicasset, saltē quod ad effecta, nihil fuisset  
 boni vllius, aut essentia, aut existētia præ-  
 ter Deum ipsum particeps. Sin autem omnia  
 sua rebus creatis cōmunicasset, quanuis quod  
 ad effecta solū, nulla esset manifesta, indu-  
 bia, & insignis inter Deum, & creaturas disti-  
 ctio ac differētia, quæ à nobis statui, notariue  
 certò posset. Nos autem hīc de Dei proprie-  
 tatibus, & quæ quod ad effecta communicantur,  
 & quæ non communicantur, promiscuè  
 (vt Dei naturâ explicemus) iam agemus. Et  
 si verò ait Basil. lib. I. contra Eunomium, Plus  
 est Dei essentiam, quàm attributa nosse: ta-  
 mē aliter quàm per illa, non potest cognosci,  
 & à nobis intelligi.



*De Attributorum, quæ Dei Proprietates  
dicuntur, natura, Regula quædam.*

**S**icut autem Proprietates diuinę naturę, attributum illius æternũ, quod ab ea abstrahi non potest, ut pote quod sit eius essẽtia, veluti misericordia, veritas, eternitas &c. Horũ autẽ attributorũ vt natura meli⁹ intelligatur, hęc regulę quinque sũt diligẽter notandę atq; obseruandę.

Prima est, eas proprietates non esse quasdã in Deo qualitates, si propriẽ qualitatis vim ac naturam spectemus: sed esse essentiã ipsius Dei. Dei enim natura simplicissima est, & nullum ex decem prædicamentis admittit: nihilque illi addi, nihil detrahi potest: apud quẽ nulla est mutatio, vel mutationis vmbra Iac. i. vers. 17. Nihil enim est in Deo vel per modum compositionis, vel per modum accidentis, vel per modũ materię & formę: quoniam Deus est simplicissima essentia, & quicquid est, essentia est, eaque vna. Itaque non sic appellatur Deus iustus, quemadmodũ homo. Iustitia enim in homine qualitas est, & quiddam superueniens & creatum. In Deo verò est essentia ipsa Dei. Vnde fit, vt Deus sine qualitate iustus & bonus esse dicatur: immensus & infinitus sine quantitate: non item homo, vel Angelus dicitur vel iustus, vel bonus, vel magnus sine qualitate & quantitate. Item Deus sine situ præsens est, & sine tempore sępitem⁹. De quo argumẽto vide præclarissimam

rissimam disputationem Bernardi Serm. 80. in  
Cantic. cantic. post August. li. 5. de Trinit. c. 1.

Secunda regula est, Omnes Dei proprietates & singulas & à Deo ipso siue per se Deo inesse, in Deo summè seu perfectissimè, item æqualiter, & incommutabiliter inesse, etsi tamen æquè à nobis non sentiuntur. Ex quo fit, ut quæ bonitas Deo competit, quæ iustitia, quæ sapientia ea sit summa & perfectissima, & incommutabilis: non autem qualis in nobis, vel angelis, inchoata, vel mēsurata, certisae gradibus comprehensa, vel mutabilis, vel imperfecta. August. in Enchirid. Itaque ad Dei iustitiam ne puri quidem sunt ipsi Angeli beati, & iusti, nedum nos homines Iob. 4. v. 18. & 15. v. 15. Ad eius bonitatem neque Angeli, neque homines boni sunt. Matth. 19. v. 16. Quod idem de cæteris eius proprietatibus dicendum est, veluti de misericordia, potentia, sapientia, patientia. Ex quo fit ut hæc virtutes in Deo neque magis neque minus suscipiant, in quo sunt essentia ipsius, & semper summa. In hominibus autem suscipiunt. Possunt enim intendi & remitti, quoniam in rebus creatis sunt ipsæ qualitates, non autem ipsa rerū essentia. Deus enim seipso maior, & perfectior esse nō potest: at homo potest. Ergo ut omnes & singulæ Dei virtutes sūt in eo perfectissimæ, & summa: sic etiam sunt æquales in Deo. Neque enim misericordia maior in eo ipso est, quàm iustitia, quia nocentem non absoluit, Exod. 34 v. 7. Ezech. 18. v. 24. & 25. neque bonum malum dicit, neque item bonū malum appellat. Ne-

Cap. 6. ISAGOGES CHRISTIANÆ

que itē sapiētia maior, quā potētia, sed omnes & singulę in eo æquales & pares. Atque tamē singulę nō sentiūtur equaliter à nobis propter infirmitatē nostrā vel conseruationē. Nā à nobis Dei misericordia plus sentitur, quā iustitia: etsi in eo ipso vna altera maior meliorque non est. Itaque valdē misericors Deus dicitur, & diues in misericordia potius, quā in iustitia, nostri tantū ratione, nō in sese, quia Deus facit vt plura misericordiæ benignitatisque suę effecta sentiam⁹, quā iustitiæ Ep. 2. v. 4. Ia. 2. v. 13. Psal. 30. v. 6. Sunt etiam hę proprietates in Deo incommutabiles, quia non potest non semper talis esse Deus; etsi talis non est inuitus, vel nō lens: sed hoc esse, est Deum esse.

Tertia regula est, Nullas in Deo proprietates esse contrarias. Non impedit misericordia iustitiam, quia misericordia ipsa in Deo iustitia est. Ambr. de obitu Theodos. Prosper Aquitanicus *ad excepta Genuensium*, nec misericordia iustitiam Dei excludit. August. Serm. 102. de Tempore. Nihil enim eorum, quę contrarietatem suscipiunt, diuinę naturę cōpetit, ne corrumpi, vel mutari posse videatur. Præterea omnes, quę sunt in Deo, proprietates sunt tum essentia, tum virtutes. Inter virtutes autem vna alii contraria non est, nec essentia est contraria essentię. Ergo neque proprietates in Deo. Potest quidem vna proprietas in Deo ab alia diuersa esse, diuersūque finem spectare, respectu creaturarum, vti misericordia Dei aliud spectat, quā iustitia. Basil. lib. I. Contra Eunomium: quemadmodum  
inter



inter morales virtutes diuersa est frugalitas à liberalitate (illa enim honestè sua conseruat, hæc verò sua honestè largitur) tamen vti frugalitas liberalitati contraria non est, ita neque Dei misericordia iustitiæ. Ratio est, quia in contrariis vnum aliud tollit, & perimit: virtutes autem se conseruant mutuò: facit enim frugalitas, vt liberalitati sit locus: Ita iustitia, vt sit Dei misericordiæ locus. Quarè non sunt contrariæ, quanquam nostri ratione diuersæ. Item, vtrunque contrariorum in vno & eodem subiecto simul & eodem tēpore consistere non potest. In vno autem & eodem homine bono & in iisdem opibus & frugalitas & liberalitas versari ac percipi solet. Sic in vno eodemque Deo iustitia & misericordia, in quæ propriè sunt essentia: secus est in vitiis, quia vitium virtuti, & vitiorū vnum alii est sæpè contrarium, vt avaritia prodigalitati aduersatur. Vnde fit, vt passim tituli, qui diuersi quidem sunt, Deo tamē tribuātur. Dicitur enim Deut. 32. v. 5. & 39. 1. Sam. 2. 7. & punitor & saluator, dicitur iustus & misericors, quia vna proprietas alteri in Deo contraria nequaquam est, & in eo vtraque potest subsistere contra Marcionis sententiam. Bonum igitur à bono differre potest, pugnare tamen cum bono non potest, quia fines habent eodem spectantes, vt docent Philosophi.

Quarta regula est, Inter attributa Dei non esse distinctionem realem, sed tantum notionis & rationis, vt docet Basil. lib. 1. contra Eunomium, ἐπιγαίως διαφύσσει τὰ ἀλλήλα.



Cap.6. ISAGOGES CHRISTIANAE

Quinta regula. Quædam ex Dei attributis communicantur rebus creatis, quædam non. Quæ enim ex istis tribuantur Deo cum adiectione gradus alicuius, ea cõmunicantur creaturis quibusdam, vt in quibus dicitur Deus summè talis, velut bonus, iustus &c. Quæ verò sine vlla verbi aut gradus cõparatione Deo insunt, illa nullis creaturis tribuantur aut cõmunicantur, velut æternus, infinitus &c. Cæterùm quum attributa Dei rebus creatis dicantur communicari, non ipsa illa, quæ Dei essentialia sunt, communicantur: sed eorum, vt diximus, tantùm effecta. Ergo ipsa bonitas Dei non tribuitur bonis vel hominibus, vel angelis, sed ipsius essentialis Dei bonitatis tantùm effectum, & creata bonitas in illis est. Nam essentialia Dei vel alterius naturæ attributa non egrediuntur sua subiecta. Nam si Deus nihil cõmunicaret nulla res esset, vel existeret. Si quæ ipse habet essentialia, eadem communicaret, tot Deos faceret, quot res ab eo producerentur. Denique Thomas in 1. secundæ Quæst. 16. Artic. 7. & doctor Hieronymus Zanchus lib. primo de Natura Dei. cap. 9. & 10. rectè annotant, nimirum ista attributa non prædicari de rebus creatis in abstracto, vt bonitas: sed in concreto, vt bonus. Nemo hominum veritas, nemo sapientia, nemo iustitia est: sed multi participes sunt veritatis, sapientiæ, iustitiæ. Solus enim Deus nullius participationis indigus est. De quo quicquid dignè vtrunque sentitur, non qualitas est, sed essentia. Leo 1. Epist. 91,

## CAP. VII.

*Aliquot Dei proprietates, seu attributa  
recensentur.*



Mnes eas proprietates sigillatim numerare, quas diuina scriptura Deo tribuit, infinitum esset. Itaque satius est aliquot solehnes, & tanquam communes locos scripturę obseruare, in quibus maximi & propriissimi tituli Deo tribuuntur, qualis est ille, qui est apud Mosem, Exod. 34. vers. 5. 6. 7. 1. Chronic. 29. v. 11. 1. Tim. 1. vers. 17. Alios autem studiosus adolescens huic similes obseruabit, & in margine huius enchiridii annotabit diligenter. Facilioris tamen methodi gratia, & vt adolescentes ipsi à nobis prætermittas proprietates in locos communes facilius redigere possint, hic aliquot explicabimus, vt ad nostram methodum, aut etiam meliorem à se obseruatas exigant. Imprimis autem in harum proprietatum obseruatione illud animaduertendum est: Quasdam proprietates (etsi toti diuinę naturę communes) vni tamen magis, quàm alii personę solere in scriptura tribui, veluti ferè potentia & creatio, etsi totius Trinitatis opus commune est, & proprietas communis, tamen vti Coloss. 1. vers. 11. Eph. 1. vers. 19. 1. Corinth. 1. vers. 30. Genes. 1. vers. 2. 1. Petr. 1. vers. 2. Patri ferè & sapius dari solet: sapientia, Filio: vis autem efficax ad agendum, Spiritui Sancto.

Cap. 7. ISAGOGES CHRISTIANÆ

Itaque commodius erit huiusmodi ad singulas personas referre, et si cōmuniter ad omnes pertinere possunt, quod & nos faciemus.

Præterea illud quoque obseruatione in his proprietatibus colligendis dignum est: Quasdam ex his generaliter omnibus populis, totique mūdo notas esse, quasdam autem soli Dei Ecclesiæ, veluti quod Deus Iudex sit, & totius mundi Dominus, notum est omnibus populis: verum quod suorum sit vindex, soli Ecclesiæ est notum: sicut & illud, quod eiusdem sit Rex proprie, & Pater, & Saluator Psal. 7. v. 9. Psal. 84. v. 12. Psal. 82. v. 8. I. Tim. 4. v. 10. Sic igitur sunt & tractandæ & considerandæ hæ Dei proprietates, vt quæ sunt speciales pro Ecclesiæ, & fidelibus, ad eos solos referantur. Quod si quando earum quoque aliqua utilitas ad infideles pertinere dicatur, quemadmodum Deus, qui specialiter suorum ratione benignus appellatur, aliquando tamen in omnes homines beneficus nominatur I. Tim. 4. 9. ea utilitas alio modo percipi à fidelibus, & ab iis sentiri intelligatur: alio autem modo ab infidelibus: illis quidem ad salutem: his autem ad suam ipsorum condemnationem Rom. 8. v. 28. Ergo Ecclesiæ respectu & ratione quædam proprietates Deo dantur: quædam autem omnium hominum gratia & intuitu. Nos autem hinc eas quantum fieri poterit, tantum explicabimus, quæ generalissimè diuinæ naturæ competunt, non omnes quidem, sed ex his tantum aliquot.

Porrò



Porro Damascenus lib. I. de *Orthodoxa fide* cap. 2. primum omnium docet, Quædam de Deo nos effari posse, quædam non posse quia nec decere: imò quædã etiã nõ posse, licet sanctissima sint, veluti Deum sobrium, aut Deum & castum esse, & alia quædam. Itaque potius per verba negantia exprimi illius natura solet, vt dicatur Ἀναρχος, ἀτελεύτητος, ἀκτιστος, ἀσχημος, ἀβαλλοιώτως, ἀσυνίδετος, ἀόρατος, ἀπώματος, id est, *Absque principio, absque fine, Nō creatus, Immutabilis, Inuariabilis, Incōpositus, Inuisibilis, Incorporatus:* quàm per vocabula puram affirmationem declarantia, quanquã tamen & per illa nonnunquam describi potest, veluti ἄρχειος, ἀγαθός, ἀώνιος, ἀίδιος, παντοδύναμος, Ἄτοκράτωρ. &c. 1. *Iustus, Bonus, Æternus Perpetuus, Omnipotens, Imperator, &c.* Veruntamen idem ille Damascenus cap. 5. tandem aliqua Dei attributa enumerat, & docet verum Deum esse, 1. vnum. 2. Perfectum. 3. Incircumscriptum. 4. Mundi creatorem, ac gubernatorem.

Thomas verò in 1. 2<sup>a</sup> quæstione 3. ait Deum duobus modis cognosci, nempe secundum se, seu secundum suam substantiam: & ex iis, quæ pertinent ad ipsius operationem.

Vt Deus cognoscatur secundum suam substantiam, tum de attributis, tum de nominibus Dei tractandum est. Ac quidem hæc Dei attributa octo ille recenset, & multis persequitur, nempe quod Deus sit 1. Simplex. 2. Perfectus. 3. Bonus. 4. Infinitus. 5. vbique. 6. Immutabilis. 7. Æternus. 8. Vnus.



Cap. 7. ISAGOGES CHRISTIANAE

Nomina verò Dei, id est, quibus diuina essentia nominatur, distinguitur in ea, quæ

{ Absolutè de Deo dicuntur, vt superiora omnia.  
 { Relatè, vt Pater, Filius Creator, &c.

Cæterum vt de nominibus attributa Dei significantibus agamus in genere, quæ absolute de diuina essentia vocabula dicuntur, illa enuntiantur de ea tripliciter, nimirum vel essentialiter, vt Deus omnipræsens, infinitus, æternus: vel metaphoricè, vt, quum vocatur Leo, Gigas, Sol: vel analogicè, vt quum appellatur Iustus, bonus, Pater &c. respectu nempe creaturarum. Quæ nomina de Deo metaphoricè dicuntur, illa prius creaturis competunt, quam Deo. Reliqua veluti quæ analogicè, vel essentialiter enuntiantur de Deo, illa prius Deo quam creaturis conueniunt, id est, Res per ipsa nomina significatæ prius fuerunt in Deo quam in rebus creatis, licet vox ipsa prius de creaturis, quam de Deo fuerit sæpè à nobis usurpata, illisq; imposita. Quæ analogicè de Deo & creaturis dicuntur, nõ tantum conueniunt prius Deo, quam creaturis, vti diximus, velut bonum esse, iustum esse &c. sed etiã de Deo & de creaturis nõ enuntiantur vniocè, quoniã potiori perfectiori que ratione de Deo dicuntur, quam de Creaturis. Alia enim est Dei iustitia, quam hominũ. Porro ea quæ ad Dei operationem pertinent, & ex quibus diuina essentia quoque cognoscitur, vt vult Thomas, sunt tria,

nempe { Scientia  
 { Voluntas  
 { Potentia Dei. Hæc tria sola maximè

persecutus est Petrus Lom. li. i. Sen. Superiora omnia, quæ tamē Thomas habet, prætermisit. Sed nos scrupulosis ac spinosis illis Scholasticorum disputationibus omissis, facilius ista omnia ad iuniorum captum tradamus, & de Attributis Dei popularius differamus.

Ac primum decem nomina notarunt Hebræi ex suæ linguæ usu, quæ passim in Scripturis Deo tribuuntur, & vocantur essentialia Dei nomina, quæ Dei naturam maximè declarant, ut est ea lingua in vi & etymologia verborum locuples. Quæ nomina, aut etiam plura, operæ pretium erit iuuenem studiosum annotare, significationemque propriam earum vocum observare. Tale nomen est *יהוה*, *יהוה*, *יהוה*, *יהוה*, de quibus vide Hieronymum Ep. ad Marcellā, *Nonagesima*, Tomo 3.

Sint igitur hæc pauca Dei generalia attributa, seu essentialia proprietates, ex multis quas nos hîc, tantum exempli gratia, tractamus, ut reliquæ ad harum methodum colligi possint, in quibus tamen explicandis utimur vocabulis ad nostrum captum accommodatis, ut docet August. Serm. 40. de temp. *Dico iustum Deum, quia in verbis humanis nihil melius, quod dicamus, inuenio. Nam ille est ultra iustitiam. Dicitur pœnitere Deus, dicitur nescire. Quis non exhorreat, nescit Deus, pœnitet Deus. ideo tamen & ad ista verba salubriter Scriptura descendit, quæ tu exhorres, ne illa, quæ magna putas, satis digne dicta arbuteris. Ergo et si verba iustus est, &c. superantur ab ipsius excellētia,*

Cap. 7. ISAGOGES CHRISTIANÆ

pro captu nostro dicuntur. Ac prima quidem  
proprietas est hæc, quòd Deus appellatur

1. *Æternus*, quia sine principio tum tem-  
poris, tum rei & causæ est. Multa quidem fi-  
nem non habet, quæ tamen habuere, habent-  
que principium, vt Angeli, & Animæ homi-  
num. Multa etiam sunt, quæ tempore quidem  
suis causis sunt coæua, vt Sol, & radius siue lu-  
men eius. (Natura tamen & re ipsa causa sem-  
per est prior effecto) At Deus vti finem non  
habet, ita neque principium siue illud tempo-  
ris, siue rei esse dicatur: sed est ipsum *a & o*.  
Apoc. 1. v. 11. Isa. 43. v. 10. Atque nomen *Æterni*  
proprie soli Deo competit. Hoc enim suum  
nomen esse aperte testatur apud Prophetas.  
Amos 9. vers. 6. & quum suum nomen Moysi  
indicat, *Ego sum*, inquit, *qui eram*: in quo sibi  
æternitatem soli vendicat. Exod. 3. v. 14. Cur  
autem Deus sit æternus, hæc ratio est, quòd to-  
tus vita est: vita autem nunquam mors esse po-  
tuit. Ergo non fuit tempus, aut aliud aliquod  
ante tempus imaginarium spatium, in quo  
Deus non esset, ac viueret Psal. 36. v. 9. Ex quo  
quoque fit, vt regnum eius æternum fuisse di-  
catur, id est, non fuisse, quando Deus non es-  
set, & potētissimus Deus Psal. 145. v. 13. Et mil-  
le anni apud eum pro breuissimo temporis mo-  
mento esse censentur. 2. Pet. 3. v. 8. quia est ab  
æterno, nec quando fuerit Deus dici memo-  
rariue potest. Vt autem Deus in se totus vita  
est: ita vitam dat rebus omnibus, quæ viuunt.  
Rom. 11. v. 36. Act. 17. v. 28. Itaque Ieho-  
uah



quasi *αὐτοῦ* dicitur, id est, & à seipso habens esse seu existere, & aliis rebus omnibus dans, quæ sunt, quæue existunt.

2. Immortalis est Deus, quod est consequens. Quod enim est & principium non habet, id neque finem habere potest. Vti autem Dei propria est æternitas, ita immortalitas, quia est *a & ω*. Apoc. I. V. II. Deus igitur esse nec incipit, nec desinit, & si opera eius

quædam { Incipiunt & desinunt  
 { Incipiunt quidem, & tamen non desinunt, vt Angeli & Animæ hominum, ita Domino eas res sustentante & fouente. Ergo illæ hanc suam immortalitatem habent, à Deo mutuatiuam. Deus autem sibi propriam habet, ut Tim. 6. v. 16. Cælum quidem & terra transceant & veterascunt, at Deus idem manet in æternum. Psal. 102. vers. 26.

3. Immutabilis est Deus, idque omninò. Iac. I. vers. 17. Quod etiam ipsum ex eius æternitate & immortalitate pendet. Nam si quæ ratione mutari Deus posset, posset interire eadem ratione, qua mutari, & eatenus quidpiam in eo accidens esset, quatenus in eo quid mutaretur. Et si autem rerum omnium præteritarum & scientia imminentium, & futurarum cognitione plenus est, tamen neque reminiscens voluitur in præteritum, neque sciens ruminatur, neque sperans tenditur in futurum. Ergo essentia Dei, qua est, nec in æternitate, nec in veritate, nec in voluntate habet quicquam mutabile.

4. Verissimus est Deus, siue fidelissimus.



Cap. 7. ISAGOGES CHRISTIANAE

Quum sit enim omnino immutabilis, etiam in voluntate sit immutabilis, ac proinde verissimus, oportet, licet nos increduli simus. Psal. 89. v. 15. 2. Tim. 2. v. 13. Ex quo fit, vt omne quod promissit, vel minatur, praestet. Luc. 1. v. 37. Heb. 10. v. 23. Nam mentiri non potest. Tit. 1. v. 3. neque etiam vllius rei Deum vnquã verè pœnitet Rom. 11. v. 29. Quòd autem nonnunquam Dei voluntas mutari dicitur, & nolle quod prius voluerat, veluti vt Ezechias moreretur, Respondeo, non in Deo, sed in rebus ipsis, de quibus est illa Dei voluntas, fieri mutationẽ. Non est mortuus Ezechias, quia Deũ rogauit, ne tunc moreretur. Itaque eò deducere voluit Deus Ezechia regem. Non sunt subuersi Ninuítæ, quia pœnituerũt: quæ fuit Dei de illis voluntas. Ergo nõ in Deo, sed in rebus ipsis facta est mutatio, veluti si in vno & eodẽ loco ipse stem & quidẽ immotus, tamẽ columna, vel scabellum, quod mihi erat dextrum, mutetur, & fiat mihi finistrum, mutatio illa est in re, id est, columna, non autem in me. August. in 50. Homiliis 34. Auersus est à te Deus, quia tu te auertisti: tu ab illo fecisti casum. Fugientis dorsa persequitur, faciem redeuntis illuminat. Non enim Deus conuertitur, & auertitur, manens corripit, incommutabilis corripit.

5 Potentissimus est Deus, imò omnipotens *ἀπλῶς*, non tantum multipotens. Psal. 89. vers. 14. quod etiam ad eius veritatem pertinet stabilendam. Neque enim verissimus esset, nisi esset idem potentissimus, vt à nemine ipsius decretum

decretum ac voluntas impediri possit: imò  
 rebus omnibus sic imperat, vt ipsi<sup>9</sup> volūtātē,  
 quanquam sæpe vel nescientes, vel reluctātes  
 faciant. Potentia verò Dei est non tātūm gu-  
 bernatio mundi, & directio ad finem certum,  
 quem ipse statuit: sed est quoque vis seu virtus  
 illa & efficacitas, qua rebus omnibus vires in-  
 fundit, quibus illæ sunt & agunt Eph. 3. v. 20.  
 Vti ergo voluntas eius immutabilis est: ita po-  
 testas maxima, vt exequatur, quod promisit,  
 aut minatur, id est, quod semel statuit. Nihil  
 enim est Deo impossibile. Mat. 19. vers. 26.  
 Vires autem potestatemque efficiedi omnia,  
 exequendi & implendi à seipso habet, non au-  
 tem à nobis, vllāue creatura. Ioh. 16. v. 2. imò  
 ipse eam creaturis omnibus sumministrat,  
 quamcunque habent. Cæterū, quod ad Dei  
 omnipotentiam pertinet, non est huiusmodi  
 à nobis cogitanda, vt illa cum ipsius sapientia  
 & voluntate, vt docēt Tertullia. & Sapient. 12.  
 v. 18. aut misericordia & c. cōmittatur: sed quæ  
 ipsius veritatem stabiliat. Nam quædam Deus  
 nō posse dicitur, vt mentiri Tit. 1. sepiſum ne-  
 gare 2. Tim. 2. v. 13. mori: quæ vt docent Atha-  
 nas. Basil. August. Damasc. non *à se ipsa* Deo  
 tribuunt: sed eius veritatem potius ac poten-  
 tiam demonstrant & asserūt. Hæc enim posse  
 est infirmitatis, nō potentia. Sed nec cōtradi-  
 ctoria Deus potest: quia est hæc nō cōstantia,  
 sed incōstātia maxima. Nec potest De<sup>9</sup> quic-  
 quid stultus cogitat: quia omnipotentia Dei  
 est cum ipsius sapientia coniuncta. vide Au-

gust. Serm. 119. de Tempore.

6 Terribilissimus & tremendus proinde est De<sup>9</sup>, quod ex eius executione pēdet. Mira enim opera eius tū in suis promissionibus, tū in minis implēdis, Psal. 96. v. 4. Deut. 10. v. 17. & Heb. 10. v. 31. *Horredum est incidere in manus Dei viventis.*

7 Optimus est Deus, siue sanctissimus. Quod verum est siue Deum ipsum, siue eius opera omnia spectes. Et hoc ex superiori consequens est. Quoniam enim mira sunt Dei opera, & longē ingenii nostri captum superāt, nisi eadem illa optima & sanctissima essent, Deus non esset, sed tyrannus. Ergo Deus est optimus ac iustissimus seu sanctissimus tum in se, tum in omnibus operibus suis. Isa. 6. v. 3. Matth. 19. v. 17. Apoc. 15. v. 4. Et omnia sanctificat Deus, quæ sunt sancta. Ezech. 20. v. 12. & quæ dat, omnia bona sunt. Jacob. 1. 17.

8 Incomprehensibilis est Deus. Quod verum est siue de Dei natura & essentia, siue de eius consiliis & operibus accipiatur. Quod ipsum etiam ex superioribus consequens est. Licet enim quæ facit, omnia bona sint, multa tamen à nobis non comprehendi certum est, cur sint bona. Ac Dei quidem essentia est incomprehensibilis, quia lucem inaccessibilem habitat. 1. Tim. 6. v. 16. Psal. 145. v. 3. Consilia quoque eius sunt omnino incomprehensibilia. Quòd si quid facit Deus naturæ nobis assuetæ repugnans, nihil tamen facit rationi repugnans, quale illud fecit, vt ferrum nataret: item infinita alia facit in iudicandis hominibus



bus & puniēdis, omnia iusta, Pſal. 36. v. 6. Iob. 36. v. 26. Iſa. 40. v. 12. Neque enim ſunt Dei cōſilia noſtris ſimilia. Iſ. 55. v. 8. neq; iniuſta, quia nobis incomprehenſibilia, Auguſtinus.

9 Iuſtiſſimus eſt Deus & in ſe, & in ſuis iudiciis exercendis, veluti dum & bonos & malos punit. Eſt verò qui à Deo puniuntur, cum eo diſputant ſæpe, & expoſtulant, eſſe tamen iuſtus non definit. Iudicat enim non ſecundum faciem, ſed ſecundum rei veritatem. 1. Sam. 16. v. 17. Iſ. 5. v. 16. Hier. 12. v. 1. Romanor. 2. Sic autem Deus eſt iuſtus, vt coram eo, ſeu, præ eo, nec Euangelista, nec Apoſtolus, nec Propheta, nec Angelus ipſe cæleſtis iuſtus ſit. Pſal. 143. Iob. 4. ait. Hieronym. ad Damasc. Epiſt. *Beatitudinis* Tom. 3. Inde vera eſt illa Auguſtini ſententia, Dei iudicia, eorumque ratio nobis ignota eſſe poteſt, iniuſta eſſe non poteſt, in Pſal. 92. verſ. 15. Deniq; Dei volūtas non eſt duntaxat iuſta, ſed omnis iuſtitix norma & regula, vt ideo quidpiam ſit iuſtū, quia cum Dei voluntate conſentit.

10 Miſericordiſſimus tamen eſt Deus. Iuſtum autem & miſericordem eſſe Deū conſeſquens eſt, ex eoque & bona & incomprehenſibilia ſunt eius opera. Quòd enim bona ſunt, quum tamen incōprehenſibilia ſint, ex eo ſit, quòd partim ad eius iuſtitiam, partim ad miſericordiam pertinent, propter quas bona ſūt, eſt à nobis ſæpe non intelliguntur. Non autem erga ſuos electos ſolum, ſed etiā erga omnes miſericors eſt Deus, non tamen eodem modo, ſed electis ad ſalutem: improbīs in hac



Cap. 7. ISAGOGES CHRISTIANÆ

vita ad maiorem eorum condemnationem, ipsorum culpâ, Psal. 36. v. 7. Rom. 15. v. 3. 2. Cor. 1. v. 3. vti misericordissimus est, ita patientissimus, etiâ erga iræ suæ vasa Psal. 86. v. 15. Rom. 9. v. 22. 2. Pet. 3. v. 9.

11 Dominus est & Rex Deus. Ita que plenus maiestate, qua nos reddit attonitos, & facit, vt nō modò nos homines, sed & ipsi Diaboli contremiscant. Atque illud Dei imperiū in omnia est, & omne genu rerum illi flectitur. Il. 45. v. 9. & 23. 1. Tim. 6. v. 15. Iac. 2. vers. 19. Hoc pendet ex eius omnipotentia.

12 Pater communis, id est, Benefactor est Deus, 1. Tim. 4. v. 9. Psal. 36. v. 6. Id est non modò electorum suorum: sed etiam reliquorum hominum, quatenus illis benefacit, non quòd singulos homines elegerit ad salutem. Imò verò quemadmodum omnium rerum creator est & animalium, & inanimatorū, ita omnium sustentator, conseruator, ac nutritor: specialiter tamen electorum suorum pater est in Domino nostro Iesu Christo. 1. Cor. 8. v. 6. Eph. 4. v. 6. Mat. 5. v. 43. Psal. 147. Gen. 33. v. 11. idque ad salutem æternam, & remissionem peccatorum obtinendam.

13 Inuisibilis est Deus, quia Dei plenitudinem non modò corporis: sed ne mētis quidem oculis videre possumus. Ideo autem est inuisibilis, quia immutabilis. Omne enim quod videri potest, est mutabile. Apparuit quidem sæpe Deus hominibus qua specie voluit,

voluit, aut in somniis, aut de die: sed latuit tamen eius effētia, veluti quum quis eminus cernit eos fasces, qui ante Cōsulem pręferuntur, dicit se vidisse Cōsulem, cuius tamen pręsentis insignia duntaxat aspexit, nō ipsam Consulis personam. Per creaturam igitur, corporeamque substantiam apparuit Deus, non per suam effentiā, 1. Tim. 6. v. 16. Ioan. 1. v. 18. quatenus nēpe illis seculis, & hominibus erat apta illa forma corporea, quam assumebat, & ei rei, quam Deus significare volebat, cōmoda. Beati tamen eum visuri dicuntur, post mortem Mat. 5. non quidem in ea specie, qua hominibus mortalibus apparet, & qua ipse non est: sed in ea ipsa substantia videbunt beati, qua ipse est, quod est, suo nempe modo. Perfectē tamē & plenē Deum in sua natura videre ne angeli quidem ipsi possunt Mat. 5. v. 8. 1. Ioan. 3. v. 2. quoniam Deus nisi à seipso plenē capi, & videri, & cognosci non potest. vide August. in Epist. 112. de videndo Deo.

14 Incorporeus est Deus, quia spiritus est, & inuisibilis, & neque humana, neque alia vllius rei forma circumscribi potest, vnde neque aliquo certo loco contineri, Act. 7. v. 24. Isa. 66. v. 1. contra Anthropomorphitas hęreticos.

15 Infinitus est, ac proinde vbique est, vnde nihil illi absconditū est, sed omnia cognoscit. Heb. 4. v. 13. Hie. 23. v. 24. Amos 9. v. 2. Isa. 66. v. 1. Psal. 139. v. 7. & 8. Nec obstat Zach. 1. v. 8. & 11. Hoc enim ad nostrum captum dicitur, *Deū ab Angelis admoneri*. Deus ergo, quia

Cap. 7. ISAGOGES CHRISTIANAE

vbique est, à nulla re abest, neque ab vlla cuiusvis rei vel minima parte: sed totus est in tota re, & totus in singulis eius partibus. Totus in toto cælo, totus in terra, totus per omnia & singula diffusus. Neque tamen ita est totus vbique, vt in dimidia mundi parte sit dimidius, in alia dimidia dimidius: aut tanquam in maiori mundi parte maior Dei pars sit, in minori minor, quia sic esse in loco, est rerum corporearum: sed vbique totus, & in seipso totus: plus tamen ab his, quàm ab illis pro vasorum diuersitate capitur: vt sonus idem sepè ab his minus, ab illis autem magis percipitur. Quum autem dicitur quosdam deserere, vel non deserere, non naturæ illius terminus ponitur: sed eorum opera describuntur, apud quos esse, vel nō esse designatur. Hieronym. Tom. 3. Epist. ad Marcellam, *Magnis nos, &c.* Quod autem Deus in cælo esse dicitur, non tanquam in loco certo conclusus sit, esse dicitur in cælo: neque item vt pars cæli in cælo esse dicitur, vt sol & luna, sed quoniam hæc terrena omnia transgreditur cæli illius pulcritudo, maiestatis Dei denotandæ causa dicitur esse in cælo, vt in pulcherrimo suo palatio. Sæpè etiam alicubi Deus fuisse peculiariter dicitur, quia non vbique talis apparuit & apparet, neque tanta maiestatis ipsius insignia eluxerūt, sicuti illic, certoque in loco tunc apparuerunt, vt quum dicitur fuisse in Rubo & Monte Sinai. De hac quæstione, & Vtrum Deus sit vbique per essentiam, præsentiam, & potentiam simul, an per potentiam  
tan-



tantum, vide Thomam in 1. 2<sup>a</sup> Quæst. 8. Artic. 3. Quum autem res quæpiam in loco esse dicatur tribus modis, nempe vel Circumscriptiuè, vt corpora, quæ partem extra partem habent, & partis certum situm cuiusque, certamque dimensionem: vel Definitiuè, vt Angeli, qui non certis patribus suis distinguuntur, sed tota substantiæ suæ proprietate finiuntur, vt quum hîc sint, eodem tempore alibi non sint: vel Repletiuè, vt omnia simul loca impleat Deus, & quidem solus, est hoc tertio modo in loco, ita vt tamen omnem locum impleat non successiuè, non positu partium, sed totus in quolibet loco, & loci parte. Itaque vbique est præsens. Præter Deum autem nihil vbique præsens esse potest, ac ne ipsa quidem Christi Domini nostri caro, quantumuis glorificata. Reliqua Dei attributa persequuntur Scholastici. Itaque nos illa omitamus. Cæterum in vniuersum est modus triplex, quo Deus in creaturis esse dicitur. Inest enim, vel vt Sustentator duntaxat, sic in omnibus inest: vel vt Gubernator etiam & dux earum, sic in solis sanctis ac electis, tum Angelis tum hominibus inest. Et certè propterea nõ tantum dicitur in illis esse Deus, sed etiam habitare & manere Ioan. 14. v. 23. & 17. v. 23. Lombard. lib. 1. Sent. Dist. 37. cap. 2. vel denique hypostaticè, quo modo in solo homine Christo inest, & inhabitat Deitas Col. 2. v. 9. Act. 10. v. 38. Sic enim Deus cum & in illo homine est & inhabitat, vt vnicam duntaxat personam duæ illæ naturæ constituant, quæ est Christus: in reliquis autè omnibus sanctis



Cap. 8. ISAGOGES CHRISTIANAE

sic inest, vt vnā cū illis personam, nequaquā efficiat. Itaq; inest in his Deus ἐνεργητικῶς duntaxat: in homine verò Christo etiā ὑποστατικῶς. Qui sanè duo habitādi modi nō modò secūdū plus & minus differunt, ( vt volūt, qui scribūt Deū sic habitare in Petro, Paulo, &c. vt in Christo, præterquam quòd in Petro, Paulo, &c. non cōmunicat re ipsa omnes suas essentielles proprietates ipsorum humanitati seu carni Deus: at in Christo re ipsa communicat omnes suas essentielles proprietates ipsius carni) sed differunt toto genere, καὶ δὲς δὲ πῶς, vt loquuntur. Ergo Deitas in Christo inest ὑποστατικῶς: in Petro verò, Paulo & sanctis tantū ἐνεργητικῶς, & propter effecta quædam. Modus autem ille, quo Deus inest in sanctis, postquā in cælum recepti sunt, & quandiu viuunt in his terris, est idem genere: differt duntaxat gradu, quoniam maiorem Dei in sese habitantis ἐνεργεσίαν sentiunt sancti in cælo, quā nūc dum hic viuunt, & manent. Nā de statu corporis hic propriè nō agitur.

C A P. VIII.

De ACCIDENTIBVS in Deo.



Aliud corū genus, quę Deo in Scripturis tribiūtur, diximus appellari Accidens. Est autē Accidens noua quædam in Deo qualitas, quæ illi competit ex tempore, non ipsius quidem Dei ratione, sed eius ipsius rei, ad quam relatus quid

quid huiusmodi esse dicitur Deus: veluti, vt sit Deus hominis Dominus, accidens est in Deo, ratione hominis, non autem ipsius Dei. Nihil enim nouum esse incipit Deus, quasi ex nouo proposito, quod prius ei non inerat: sed ex re ipsa, ad quam tale quid dicitur, accidens esse existimatur. Itaque sine iis accidentium nominibus fuisse Deum dici potest. Eodē modo, quæ metaphoricè de Deo enuntiatur, sunt intelligenda, velut accidens. Sic dicitur nostro sensu meminisse, item obliuisci, non ipsius quidem Dei ratione, sed nostra tantum. Vide Thomam in. 1. 2<sup>a</sup> Quæst. 13. de Nominibus Dei Artic. 7. Zanch. lib. 1. de Natura Dei cap. 10. Quod autem Ira, Pœnitentia, manus, pedes &c. tribuuntur Deo, per *ἀνθρωπομιθεϊαν* de Deo dicuntur, nempe quum ea agit Deus nostri ratione, quæ homines irati, vel pœnitentes agere solent: item manibus & pedibus, & aliis membris vtētes. Anselmus sic tradit. potentias operationū Dei vocat August. Psal. 9.

## CAP. IX.

*De VNITATE Essentia diuina, & TRINITATE Personarum: ac primū de Vnitate Essentia diuina.*



Ic verus Deus, cuius & proprietates & accidentia supra exposuimus, est

quidem,	}	Quod ad	}	Vnus:	}	
		om̄niū siue essentiā,				
}	}	Quod ad	}	Trinus, nimirū alius est	}	Pater
		un̄osarū verò siue subsistē- tiam,				Filius
						Spiritus san- ctus.

Quod dicimus verissimum apparebit, si locus Deut. 6. vers. 4. Marc. 12. vers. 29. *Dominus Deus tuus vnus est*, cum loco Matth. 28. vers. 19. *Baptizantes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, conferatur. Cæterum Thomas in 1.2<sup>a</sup> Quæst. 11. profert alias rationes. Summa huius disputationis eò redit, vt docet August. tum lib. 1. de Trinitate Dei: tum Sermo. de Tempore. 119. 124. 131, & 135. Et Thomas in 1.2<sup>a</sup> Quæst. 39. vt secundum sacras Scripturas Trinitas, .i. Pater, & Filius & Spiritus sanctus, probeatur vna, id est, vnus ad numerum & eiusdem essentiæ, & inseparabili æqualitate. Item vt illa vnitas demonstratur trina, id est, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, id est, non solitarius Deus, qui sibi ipse Pater sit, & Filius, sed trinus, personarum ratione. August. Serm. 129. de Temp. *Si quis substrahens aut Filium, aut Spiritum sanctum, ita solum existimet esse Deum Patrem, & dici, aut credi vnum Deum, anathema sit.*

Hæc

Hæc disputatio est eiusmodi, vt nec alicubi periculosius erretur, nec laboriosius aliquid quærat, nec fructuosius aliquid inueniatur. Quod quidem totum arcanum est, sed tamen credendum, quia à scriptura reuelatum, & in hoc sumus Christiani, quòd vnum Deum in Trinitate cõfitemur: quod profani (quicquid de Trismegisto & Platone dicatur) non agnouerunt, vt docet Thomas. Constituerunt enim plures essentias, quod nos homines Christiani nequaquam facimus. Ergo Trinitas, id est, Pater, Filius, & Spiritus sanctus secundum naturam diuinam, vna est etiam numero essentia, quia nulla dari potest altercitas vel diuersitas, per quã ratione essentiæ hæ personę differant: & quæcunque habet naturaliter essentia in Patre, eadẽ etiam habet naturaliter & in Filio, & in Spiritu sancto, etsi tamen Pater eam habet à se, Filius à Patre, vt Filius Patris: Spiritus sanctus à Patre & Filio, vt Spiritus Patris & Filii. Vnde ratione essentiæ Filius est etiam *αὐτὸθεός* & *αὐτοζών, αὐτοδημιούργη*, vt ait Basil. lib. 2. contra Eunom. Ratione autem personæ est à Patre talis. Ratione igitur per quam aliquid ad aliud est, ea essentiæ vnitas in tribus personis re ipsa subsistit, & distincta apparet. Naturam autem illam, siue essentiam Græci *οὐσίαν* vocant: Personam autem *ὑπόστασιν* nominant. Heb. i. v. 3. Ergo vnitas est in Trinitate, nõ qua Trinitas est, sed qua vna essentia, id est,



Duabus de cau-  
sis & quòd


1. Hæ tres personæ sint v-  
nius & eiusdem numero es-  
sentia, potentia & maiesta-  
tis; quæ Deus siue diuina  
appellatur natura. Itaque v-  
nus est Deus, non plures: v-  
nus Omnipotēs, nō plures.
2. Tres personæ equaliter  
& inseparabiliter semper  
extrà operantur: etsi distin-  
gui cuiusque ratio & ope-  
ratio potest.

Ex hac verò essentia in tribus illis personis  
identitate, *μωτότητι*, ac singularissima seu ma-  
ximè vna vnitare, illud est quod ait Christus  
Ioan.14.verf.10. *Ego sum in Patre, & Pater est in  
me*: quæ res à Patribus *μετὰ ἑαυτοῦ*, id est, mutua  
confessio & im mutatio Personarum dicta est.  
Quam enim essentia diuina sit infinita, & eâ  
Pater, Filius, & Spiritus sanctus totam possi-  
deant singuli, necesse est, vbicunq; vnus est,  
alterum esse, & aliam in alio esse, Patrem in  
Filio, & Filium in Patre, & Spiritum sanctum  
in Patre & Filio. *Non autem dicendum est*, ait  
Cyrillus li.9, in Ioã. cap.40. *Pater à Filio, vel in  
Filio continetur. Nec est Filius in Patre, vt nos in  
Deo esse & viuere dicimur.* Act. 17. id est, per  
Deum, qui tamen de eius essentia non sumus.  
Verùm de his vide August, lib. de Trinitate  
Dei & Serm.38. de Temp. Item lib. de Vnitate  
& Trinitate Dei Tomo 4. vt hîc breuiores si-  
mus. Imprimis autem Dionysii librum de  
Diuin.

Diuin. Nominibus cap. 2. parte prima: & Damasc. lib. 1. de Fide orthodoxa cap. II.

## CAP. X.

De hac voce, Οὐσία, siue Essentia.

 *ουσία* à Latinis *substantiam* dici, apertissimè docet Hermius Sozom. lib. 4. Histor. suæ. cap. 6. Augustinus autem verius ac melius *essentiam* veritit: alii etiam *naturam*. Vnde vna hæc Græca vox *ουσία* tribus Latinis reddi potest, *substantia*, *essentia*, & *natura*: quod est diligenter in explicationibus & concionibus nostris obseruandum, ne temerè *substantiam* & *ουσία* cum *substantia* & *ουσιαι* confundamus. Quanquã tamen & Græci & Latini scriptores non semper *Naturam* & *Substantiam* cum *Essentia* cõfundunt, sed sæpe distinguunt. Nam *essentia* *ουσία* cõsideratur vt simplicissima, & omnib<sup>9</sup> accidentibus & proprietatibus spoliata rei cuiusq; cõstitutio & forma. *Natura* est *ουσία*, quum illi *essentię* iam aliqua acciderũt, nẽpe vel proprietates, vel accidentia. *Substantia* verò sæpe ab iisdem Latinis Patribus pro *ουσιαι*, id est, re ipsa subsistente sumitur. Vide Ioannẽ Damascenum in li. *Isagoges λογικων* cap. 3. & de *Dialectica* cap. 39. 40, & deinceps. Thomã in 1. 2<sup>a</sup> Quæst. 39. ad Artic. 2. Quod tamen fecerunt quidam alii Scriptores Ecclesiastici. Cæterum ex harum duarum vocum *ουσία* & *ουσιαι* distinctione & diligenti ob-

Cap. II. ISAGOGES CHRISTIANAE

seruatione, magna vel lux, vel confusio toti huic disputationi affertur. Ac *ἰσῆς* quidem nomen in ea significatione, qua nūc utimur, non reperitur in Sacris literis. Itaque Arriani de scriptis & sermone nostro tollendam esse disputabant: sed quam Hæreticorum cauillis respondendum esset, noua nomina vsurpanda fuerunt, vt ait Athanasius, quæ & significantissima, & traducta aliunde essent. Itaque contra Sabellii errorem vox *επισκοπος* & quidem ex Scriptura repetita, cœpit in vsu esse: cōtra Pauli Samosatēni, qui Antiochiæ Episcopus fuit, hæresin vox *ἰσῆς*: vtraque postea contra Arrianos valuit, vsurpataque fuit, & merito.

CAP. XI.

*Quid sit Οὐσία. siue Essentia.*



*ὐσία* vox à veteribus, vt ait Cyrillus lib. I. de Trinitate, formata est ex nomine Dei *ὁ ὢν*: quod extat in veteri Testamēto Græcè cōuerso, Exo. 3. Na inde fit *ὄντως* & *ἰσῆς*, quæ vox alioquinō extat in Scriptura. *Οὐσία* quid sit antequā de finiatur, vocis ambiguitas distinguēda est, quā esse *πολύσημον* docet Aristot. lib. 5. Metaphys. Nos autem hic, quæ huic loco significata conueniunt, solam explicemus. Quoniam enim à rebus naturalibus hæc vox ad res Diuinas & Theologicas traducta est, vidēdum est quomodo ea Physici vtantur, & quā variè, vt quæ significatio ad nostrum institutum pertinet, ea accipiatur.

Duplex in vniuersam huius vocis est significatio.



ficatum, vnum Dialecticorum proprium, aliorum Physicorum. Ac Dialecticis quidem *ἁπλόα* est, quod per se existit, non autem in alio subsistit, vt Petrus, Paulus, hic homo, hic lapis. Quod autem in alio subsistit, nō autē perse, vt color, & magnitudo, Dialectici *συμβεβηκός* appellant, id est, *accidens*: non autem *ἁπλόα*, id est, *substantiam*. hęc significatio strictior est. Altera Physicorum latior. Est igitur *ἁπλόα* Physicis ipsa cuiusque rei natura, quæ definitione debet explicari. Atque tunc etiam in accidentibus ipsis est quædam *ἁπλόα*, id est, natura quædam, quæ definitione potest tradi (Nam & albuginē, & frigus, quę sunt, accidentia, definiri possunt, & habent *ἁπλόα*, quandam quæ admodū in Metaphysicis rectē tradit Aristoteles) sic hoc loco *ἁπλόα* vsurpamus. sic apud I. Consultos *ἁπλόα* aceti. i. natura aceti, dicta est. Et quia in definitione illud spectari solet, quod pari ratione æquē ad oīa eiusdem generis indiuidua pertinet, idcirco fit, vt *ἁπλόα* sit in quaq; re illa vniuersalis natura, quæ de multis indiuiduis æqualiter dicitur, & vt Dialectici loquuntur, vniuocē prædicatur: vt in Petro & Paulo & Timotheo, humanitas, id est, humana ipsa natura est *ἁπλόα*: sic in Patre, Filio, & spiritu factō Deitas, id est, diuina illa essentia, quę superius ex variis attributis explicata est, *ἁπλόα* appellatur. Primum enim quid Deitas seu diuina essentia (aliud autē est Deitas, id est, *θεός*, Col. 2. v. 9. aliud diuinitas, id est *θεότης*, quia Deitas est essētiālis, & ipsa natura diuina: Diuinitas. verò est donū tā-



Cap. II. ISAGOGES CHRISTIANAE  
tūm participatum, & Deitatis effectum) Ergo  
quid Deitas habeat cum vniuersis illis Physi-  
cis naturis. & cum speciebus aut generibus cō-  
mune, videndum est. Deinde quid habeat ab  
iisdem diuersum. Hoc autem habet primum  
commune, quòd vniuocè de tribus personis  
enuntiatur Deitas. Ergo non est in ea aliud  
Pater, aliud Filius, aliud Spiritus Sanctus, sed  
vnum sunt, Ioan. 10. v. 30. Secundum, quòd,  
vti in rebus naturalibus vniuersalis illa indi-  
uiduorum natura, quæ *ratio* appellatur, extra  
individa non subsistit, vti docet Aristot. lib.  
1. de Anima: ita neque diuinitas extra tres il-  
las personas subsistit, aut est. Nam per se con-  
siderata illa generalis essentia & extra indivi-  
dua sua nihil aliud est, quàm quædam animi  
notio & cogitatio, quam inesse rebus indivi-  
duis & singulis eiusdem speciei aut generis  
contemplamur: vti humanitas extra singulos  
homines considerata non subsistit in rerum  
natura, quicquid Plato de suis Idæis statuat.  
Tertium est, quòd vti illa *ratio* singula & omnia  
individa, quæ sunt eiusdem generis & nomi-  
nis comprehendit, vti hominis natura inest  
in singulis hominibus: ita Deitas in singulis  
personis: & in quibus illa vniuersalis hominis  
ratio non est, homines dici non debent, ita nec  
Deus, in quibus illa Deitas non est: vt frustra  
vel homo quærat, in quo illa humanitas nō  
sit, vel illa humanitas (quæ est Petri vel Ioan-  
nis *ratio*) extra singulos homines, de quibus di-  
citur pari ratione, esse vel subsistere fingatur.

Sunt

Sunt igitur Pater & Filius & Spiritus Sanctus  
 vna eadēq; essentia, nimirū Deus, neque diui-  
 na natura aliud est quàm hi tres, neque alibi  
 subsistit: & in vnaquaque trium Personarum  
 peraq;, & pari ratione tota inest. Itaq; vt Ho-  
 minis, sic Dei nomen sæpe absolutè seu gene-  
 raliter sumitur, pro tota essentia: sæpe pro vna  
 quadam persona, vt pro Filio. Ergo si ab vna  
 persona, velut Patre abesset Deitas, Deus ille  
 non esset. Ergo quicquid est Pater, quā Deus,  
 quā essētia, quā æternus, hoc idē est Filius, hoc  
 Spiritus Sanctus. Nā secundum essētiā hoc  
 est Pater, quod Filius, quod S. Sanctus. Neque  
 tamen sic vnam essentiam in Patre & Filio &  
 Spiritu Sancto dicimus, tanquam vnam mate-  
 riam, ex qua tres illæ Personæ constēt, & sub-  
 sistant, vel vnam speciem quę habeat tres illas  
 Personas, velut tria individua. Nam in indivi-  
 duis eiusdē speciei multiplicatur numero es-  
 sentia: sed in illis tribus Personis essentia diui-  
 na vna manet, & quidem numero. Vnde fit, vt  
 ad discrimen illud inter prædicationem Dei-  
 tatis de tribus illis personis, & speciei de suis  
 individuis notandū Patres sæpe dicant, *Tres  
 personas subsistere in illa diuina essentia*: non tan-  
 tum eā subsistere in tribus personis: sed, quic-  
 quid illa essentia est (quod tamen aliud nō est  
 quàm tres illæ Personæ siue subsistētiæ) in his  
 tribus cōsistit totū & cōprehēditur, Nō sic spe-  
 cies in tribus suis individuis vna numero esse  
 tia est. Ergo tres illæ Personæ diuinæ nō sunt  
 plures essentię: vnde fit, vt Quaternitas, id est,  
 Essētia præter Personas à nobis nō inducatur

Cap. II. ISAGOGES CHRISTIANÆ

Præterea Personas istas diuinas nõ separam<sup>9</sup>,  
 vt in reb<sup>9</sup> creatis, indiuidua eiusdẽ speciei sepa  
 ratur, sed tãtũm eas in vna & eadẽ numero ef  
 fentia distinguimus, & proinde illæ dicantur  
 ὁμοούσιοι. Sed obiici potest, Si Pater, & Filius, &  
 Spiritus Sanctus ὁμοούσιοι sunt, quia sunt eiusdẽ  
 essẽtiæ, & quod vnus est, idẽ ipsũ est alius (vt  
 quod est Pater, quã Deus, hoc ipsum & Filius  
 quã idẽ Deus) Jcur non eadẽ ratione Petrus, &  
 Paulus, & Iacobus dici ὁμοούσιοι, non poterunt,  
 quia sunt homines, & quæ hominis definitio  
 Petro conuenit, eadem etiã Paulo? Respõdeo,  
 In rebus creatis, verbi gratia, in genere huma  
 no, nõ fit cõmunicatio totius substantiẽ inter  
 patrẽ & filiũ: sed secernitur tãtũm aliquid de  
 patris substãtia, ex quo gignitur filius. Quare  
 ipsa particularis humanitas, quẽ in vno est ho  
 mine, in alio eadẽ ad numerũ esse non potest,  
 ac ne in filio quidẽ, multò minus in alio. Ita  
 q; quot sunt homines, tot sunt quãtitatiuæ, vt  
 loquuntur, humanitates per se subsistentes, &  
 separata, quæ in vna humanitatis seu homei  
 tatis generali definitione tantũm omnes con  
 ueniunt, cũm interea illa generalis homeitas  
 per se nullibi subsistat. At nõ sũt tot Deitates,  
 quot sunt Personæ diuinæ: sed sunt tres Perso  
 næ: vna tamen Deitas duntaxat. Itẽ singuli ho  
 mines suis proprietatibus incõmunicabilibus  
 non modò distinguũtur, sed re ipsa plenẽque  
 & diuisẽ à sese separãtur: vnde fit, vt plures ho  
 mines etiã ipsi<sup>9</sup> humanitatis respectu, separati  
 dicãtur, etsi cõmuni ratione appellantur ho  
 mines. Nã finita & separata est cuiusque ho  
 minis



minis *ἑνός υἱός*. Vnde Paulus, & Petrus, & Iacobus, non sunt vnus homo: nec vbiq̄que est Petrus, illic est & Paulus. At Pater Deus Filio Deo totam essentiam cōmunicat, nec singulas separatāsque Deitates habēt: sed in vna diuina essentia distinguuntur tātūm tres Personę, nō separātur. Vnde vbiq̄q; vnus est, velut Pater, & alter quoq; est, velut Filius. Ergo hi meritō *ἑμoύστωι* dicuntur. At tres homines nō possunt dici *ἑμoύστωι*: sunt enim indiuidua in rebus creatis eiusdē generis inter se separata, ac proinde *ἑμοιούστωι*, non autem *ἑμoύστωι*. Atque hęc propria & *ἑμοιούστωι* & *ἑμoύστωι* significatio est, & differētia, cōtrā quā Sophisticē Arriani interpretabātur, vt scribit Herm. Zozom. lib. 3. cap. 18. & Cyrillus lib. 1. de Trinitate. Id quod Basil. apud Gregor. Nyss. in breui disputatione & oratione exposuit. Quod verō queritur, Quomodo igitur, quum Filius incarnatus est, non dicitur tota Trinitas, id est, Pater, & Spiritus Sāctus, incarnata? Respōdeo, Quoniā etsi tota Deitas quidē ratione essētię fuit in Filio carnē nostrā assumēte incarnata: ratione tamē personarū nō fuit tota incarnata. Tūc enim dicitur Deitas relatē ad Filiū, veluti quum Deus passus quoque dicitur: quum autem dicitur Deus generasse Filium, Deitas relatē dicitur ad Patrem. Damasc. li. 3. de fide Orthodox. cap. 6. In sūma igitur in his tribus maximē differt ratio seu prædicatio speciei de suis indiuiduis à ratione seu prædicatione Deitatis de tribus illis Personis, I. Quod Personę ipsę dici possūt, imō dicūtur esse & subsistere in Essētia



Cap. 12. ISAGOGES CHRISTIANAE

diuina. Indiuidua verò non dicuntur esse in specie, sed species in indiuiduis. Thomas in 1. 2<sup>æ</sup> Quæst. 30. Nam non est vna numero humanitas, quæ est in singulis hominibus: sed est vna numero Deitas, vt in tribus sic etiã singulis Personis. Pater & Filius communicant vnã & totam essentiam cum S. Sancto: at in hominibus pater non communicat filio totã suam essentiã, sed partẽ eius & quidẽ separationis modo. 2. Quòd tota Deitas est in illis dũtaxat tribus Personis: Species autẽ, quæ plura indiuidua habet, non est dũtaxat in vno, aut tribus tota, sed in infinitis. 3. Quòd Deitas vna & eadem numero est in singulis Personis, quæ singulę totã eã possidēt. In indiuiduis tot sunt humanitates numero, quot homines.

C A P. XII.

*Tres Personas DIVINAS æqualiter & simul siue inseparabiliter operari.*

**T**RINITAS sicuti inseparabilis est, & infinita: ita inseparabiliter & æqualiter operatur. Ioa. 5. vers. 17. in operibus, quæ vocantur Ad extrã. Aequalis enim est & eadem vniuscuiusque Personæ potestas. Nam quæ creata sunt, quæque subsistunt, Trinitate creante & sustinente & creata sunt, & subsistunt: & quum liberamur, quum item saluamur, non à solo Patre, sine Filio, & Spiritu Sancto: non item à solo Filio sine Patre, & Spiritu S. liberamur ac saluamur. Ergo eadem sunt opera & effecta .i. ἀποτέλεσμα Patris, & Filii, & Spiritus S. etsi Filius non est idem ipse, qui Pater. Ex quo fit, vt in eodem illo &

communi opere seu apotelesmate propriæ  
 sint & distinctę singularum Personarum ope-  
 rationes & *ἐπιτελεῖαι*, quę manifestatur ad vnā-  
 quamque pertinere personam. Ergo eadem  
 facit Filius, quæ Pater, quę Spiritus S. ratione  
 effecti operis, non tamen facit eodem modo,  
 neque eandem operationem Pater, quam Fi-  
 lius Ioan. 5. v. 17. & 1. v. 3. Nec enim facit Pater,  
 quod Filius, neque quod Spiritus Sanctus. Pa-  
 ter enim est, à quo cuncta sunt: Filius, per quę  
 sunt omnia: Spiritus Sanctus per quem uiui-  
 ficantur, sustinentur, & agunt omnia. Cor. 8.  
 v. 6. & 7. & 2. Corin. 13. v. 13. Pater in nostrā  
 redemptionis opere seu effectione misit Filiū  
 in mundum. Ioan. 3. Filius suscepit carnem  
 Ioh. 1. v. 14. Spiritus S. illam sanctificauit, &  
 ex semine Mariæ corpus Christi cōdidit, Luc.  
 1. Pet. 1. v. 2. Ac Trinitatem quidem in omni-  
 bus & singulis rebus æqualiter & simul sem-  
 per operari verum est. Itaque ad solam Patris  
 personam non pertinet quod dicitur, *Deus*  
*hoc, vel illud fecit, vel Deus prouidebit, Deus fa-*  
*ciat*, sed ad totam Trinitatē, quę est vnus Deus.  
 Etsi autem in nostris vocibus Pater, Filius, &  
 Spiritus S. separati sunt, neque simul dici ac  
 pronuntiari possunt, neque simul scribi, sunt  
 tamen in vna essentia vnū, & in suis operi-  
 bus simul & inseparabiliter operantur. Augu-  
 stin. in 50. Homiliis 32. Trinitas est, sed vna  
 operatio, vna maiestas, vna eternitas, vna coæ-  
 ternitas, & opera eadem Trinitatis. Vnum cū-  
 demque hominem, & Pater, & Filius, & Spi-  
 ritus sanctus creat: & Pater, & Filius, & Spi-

Cap. 13. ISAGOGES CHRISTIANAE  
ritus sanctus vnus Deus creat. Attendis plu-  
ralitatem personarum, sed vnitatem diuinita-  
tis agnosce.

C A P. XIII.

De TRINITATE Personarum Diuina-  
rum: ac primùm de hac voce,  
TRINITAS

**T**Rinitatis vox in Sacris scripturis  
non reperitur, sed tamē ad facilitate  
re huius quæstionis tractationē est  
vtilissimē ex Arithmetiis sumpta,  
& vsus eius apud probatos Scriptores Eccle-  
siasticos frequens. Magna enim inopia labo-  
rat humanum eloquium, quum tres Personæ  
Trinitas appellantur, non vt illud planē dica-  
tur, quod sunt tres illæ Personæ, sed ne tacea-  
tur. Pythagorici igitur ac Platonici *Τετράδος* no-  
men primi ab Arithmetiis ad Theologos tra-  
dixerunt vti alia multa numerorum nomina,  
quibus vti tam bona conscientia possumus,  
quàm communi cum iis Sole, terra, Luna, aëre  
vrimur. Nam omnia hominibus Christianis  
seruire debent. Cæterum Deus neque propriè  
triplex dicitur: neque tres Dii, neque Trinitas  
Deitatis, vti neque singularis quoque vocari  
debet. Sed neque Personæ ipsæ rectè dici pos-  
sunt Disparæ, Diuisæ, Separatæ, aut Deus cõ-  
fusus, compositus, aggregatus ex tribus Perso-  
nis, aut solitarius, quemadmodum in lib. 1.  
Sent. Petri Lomb. Dist. 24. annotauimus: sed  
neque



neque Deitas genus aut species trium illarum diuinarum Personarum dici potest, vti docuimus.

## CAP. XIII.

*An sit TRINITAS in Diuinis.*



Trinitas videri humano corporeoque sensu nō potest. Et tamē sunt subsistuntque re ipsa distinctę tres illę Personę, quę Gręcis propter eā reia *ἑνωσάται* dicuntur, atque etiam numero inter se illę Personę differunt, contra quām tamen sentit Pet. Lomb. Lib. 1. Sent. Dist. 19. Tot enim in recensendis illis ponendę sunt re ipsa vnitates seu proprietates diuersę, quot sunt Personę. Nam præterquam quod esse apparebit singulas Personas Deum, quum de singulis agetur: sunt tamen quidam tum veteris, tum noui Testamēti loci apertissimi, per quos esse Trinitatem confirmatur. Ac veteris quidem hi sunt Gen. 1. v. 1. & 2. Item 1. v. 26. Proverb. 30. v. 4. Noui verò Testamenti testimonia sunt hæc Ioan. 1. v. 1. & 2. Item Matth. 3. 16. 17. Matt. 28. v. 19. 1. Ioan. 5. v. 7. 2. Cor. 13. vers. 13. Ex Paganorū autem & gentilium Philosophorum scriptis testimonia de Trinitate corrogare planē insulsum puto. Quanquā & Euseb. lib. 1. de Præpar. Euangel. & Theodoretus locos quosdam ex secunda Platonis Epistola, quę est ad Dionē, & ex Plotini Platonici scriptis inducunt ad Trinitatis probationē. Quod

Cap. 14. ISAGOGES CHRISTIANAE

est extra rem, quum vulgò etiam Iudæi homines, qui legem & Mosem tradebant, tamen nõ ita apertè sensisse de Trinitate credantur, quẽ admodum isti profanos Philosophos volunt, & scribunt, vel potiùs somniant eos de ea cogitasse. Porrò Trinitatis imaginem & similitudinẽ Patres in multis rebus quæsierunt, tanti arcani illustrandi & explicandi gratia, veluti in Sole, vbi est calor, candor, & Sol ipse: item est lux in sole, Rádus in aère, lumen in oculo: Item in fonte, vbi est scaturigo, riuus, & lacus:

Item in anima hominis, vbi est intelligentia seu mens, memoria, & voluntas: item in anima vbi est intelligentia, res intellecta, dilectio. Denique nõ esse plures Personas, quàm tres, variis argumentis conatur ostẽdere Thomas in 1.2<sup>a</sup> Quæst. 30. Verùm vnã hanc rationem pro optima & sola habeo, quòd Sancta scriptura non commemorat plures. Eas autem re ipsa subsistere, non tantùm cogitatione fingi esse, id est, esse tria, vt Græci loquuntur, *ἑνὸς οὐρα* & *ἑσούρα*, & tamen re ipsa vnã Personam ab alia non separari, sed tantùm distingui verissimum est. Modus igitur, quo Pater habet diuinam illam essentiã, facit, vt Persona patris sit re ipsa distincta à Persona Filii. Pater enim eã à se habet, vt à seipso Pater: Filius à Patre, vt à Patre Filius: Spiritus sanctus ab utroque, vt à Patre & Filio sit Spiritus. Subsistunt autem singulæ, quoniam non potest is modus tam diuersus & repugnans in vnã & eadem persona esse, vt idem & à se ipse habeat suam

suam essentiam, & ab alio. Subsistit igitur Pater, quia reuera Filiū genuit. Subsistit Filius, quoniam re ipsa à Patre & genitus est, & gignitur. Subsistit Sp. sanctus, quia quum neque sit Pater, neque Filius, ab utroque procedit. Nam aut falsæ sunt illæ operationes Dei ad intrā: nempe generatio in Filio, processio in Spiritu: aut illæ personæ re ipsa subsistunt. Prius autem vel sentire est blasphemum Ioan. I. v. I. nendum asserere.

## CAP. XV.

*Quid sit Sancta TRINITAS.*

**T**RINITAS est vnus & solus verus Deus, qui rectè Pater & Filius, & Spiritus Sanctus dicitur. Est igitur Trinitas vnus ille Deus, magnus, æternus, bonus, sapiens, iustus, misericors, & qualis suprâ descriptus est: ideoque non sunt tres Dii: non tres omnipotentes, non tres sapientes. Sed vnus Deus tantum, et si sint tres Personæ, quia Pater non est Filius, nec Filius Pater. Ergo Trinitas ad Personas Patris, & Filii, & Spiritus Sancti refertur, Vnitas verò ad naturam. Essentialiter enim idem & non aliud est Pater & Filius: personaliter autè alius. Ergo de singulis Personis si quærat, quid sit, respondendum est Deum esse. Quid est Pater? Est Deus. Quid est Filius? est Deus. Si Pater est aurum, & Filius est aurum. De utroque etiā si quærat, Quid sint, Pater & Filius, re-



sponde, Deum esse, non Deos. Ergo Pater est idem, qui Filius: responde, secundum essentiam verum est, secundum relationem, alius est Pater, alius Filius, alius Sp. Sanctus. Quare vera est illa Basilii sententia, tres illas Personas inter se non differre *ἕντα*, id est, essentia, sed *ἑσάρτα* *ὑπάρξεως*, i. modo eam habendi. Nam Pater eam habet à se: Filius autè à Patre: Spiritus sanctus, à Patre, & Filio. Ergo Trinitas ut est sic enūciatur propter Personarum numerum ac distinctione, quòd in vna diuina Essentia re ipsa & verè, non autem imaginariè, & cogitatione animi subsistunt. Licet autem in vna diuinitate intromittatur Personarum numerositas, nò tamen inducitur Deorum pluralitas. Item in Trinitate nò est vllus per locorum spatia Personarum còtactus, & complexus cogitandus, uti in Geryone tricorpore fabulæ fingunt, sed vna inseparata atque inseparabilis essentia. Itaque nò sunt in Trinitate tres Sapientiæ, nò tres Spiritus, nò tres Omnipotentiæ, sed vna tantum. Itè in Trinitate neq; gradus, neque affectus dispar aut diuersus est, etsi in tribus hominibus est dispar. Quare tres illæ Personæ, quia naturarum separatio fieri in iis non potest, sunt singulæ vbique. Neque enim in vllò esse potest Pater, in quo non sit & Filius, & Spiritus sanctus, etsi tamen Trinitas commixtione còfusa non est. Et quod sigillatim in Scripturis multa de singulis Personis traduntur, sit, ut insinuetur, quanuis inseparabilis Trinitas, Trinitas tamen: aliter enim humana mens eam capere nò posset. Ergo Trinitas ratione Personarum

rum est, non autem ratione Essentiæ, quæ tamen Personæ in ea diuina Essentiâ neque cõfusa sunt, neque separata, neque imaginariæ vlllo modo, sed reuera subsistetes & distinctæ. Singulæ verò illæ Personæ, totam Deitatem rei ipsius seu essentiæ in sese considerata ratione possident, nec plus sunt tres, quàm vnæqueque sigillatim quâ Deus: etsi ratione Personæ, id est, modi quo Deitas in hac vel in illa persona subsistit, non est Deitas in Patre, vt in Filio: quatenus incarnata fuit in Filio, non incarnata in Patre Deitas.

C A P. XVI.

*Quinam in TRINITATE intelligenda antea errarint.*



Tque cõ magis sobriè in hac disputatione sapiendum est, omnesque vanæ & curiosæ quæstiones fugiendæ, quòd in ea tractâda & definienda multi docti viri antea errarint. Errant enim, qui putat in Trinitate esse

1. Creatum aliquid, vt Dionysius.
2. Inæquale substantia, vt Eunomius.
3. Inæquale gratia, vt Acrius.
4. Prius posteriusue, vt Arrius.
5. Officiosum vel seruiens alteri, vt Macedonius.
6. Insertum susceptione, vt Manichæus.
7. Corporeum, vt Melites, & Tertullianus.

Cap. 17. ISAGOGES CHRISTIANAE

8. Effigiatum corporaliter, vt Anthropomorphita.
9. Visibile in ea, vt Fortunatus.
10. Inuisibile illi in creaturis, vt Origenes.
11. Diuersum moribus, vt Marcion.
12. Deductū ex eius essentia in nos. vt Plato, Manichæi, Osiander.
13. Effectum singulare vnius Personæ. Origenes.
14. Confusum, vt Sabellius.
15. Solitarium, quod careat Personis, vt Praxas.

C A P. XVII.

De hac voce PERSONA, siue ὑπόστασις.

**V**OX ὑπόστασις & Subsistētia & Persona in hac quæstione verti solet. Eius autē vocis significatio multiplex in vniuersum est, Nam etiā Græci vocarunt ὑπόστασις facem, seu sedimentum, quia in fundo subsistat etiam ὑπόστασις pro subiecto accidentium accipitur. Pro re quoque solida, minimeque euanida, Heb. II. v. I. Hic autem nos illam eius significationem sequimur, quæ voci Latinæ Persona respondet, & cuius etiam vsus est in Scriptura sacra eo sensu, Heb. I. v. 3. Itaque differt ὑπόστασις ab ὑοία. Ac primum quidem veteres Episcopi contra Noëtii & Sabellii errorem hac voce sunt vsi, vti diximus. Postea etiam aduersus Arrium & Arrianos infestissimos Diuinitatis Christi hostes, cuius



cuius vocis vsurpatio primū sine tumultu recepta est, postea hæreticorum (vt docet Hieronym. tom. 2. Epi. *Quoniam vetusto*: & in Hist. Ecclesiast. Theod. indicat) importunitate vexata fuit: hodiè verò ad magnū & Ecclesie, & veritatis Euāgelicæ vsū retinetur. De hac voce vide Socrat. Scholast. lib. 3. cap. 7. & Tripart. Hist. lib. 6. cap. 20. 21. 22. Damasc. tum in lib. Isagoge, cap. 2. tum in Dialectica cap. 42. 43. 44. Porro aut de re ipsa nobiscum, & cum Patribus consentiant, aut dissentiant, qui vocabulum hoc *Persona* in hac disputatione reiciunt. Si nobiscum in re consentiunt; cur non loquuntur quoque nobiscum & Patrum verbis, vt ille consensus appareat, & ne quonorum verborū architectatione & fraude nouus quoq; error oriatur: aut ne isto suo priscorum verborum odio schisma, & secessionem ab ipsa quoque doctrina facere in Dei Ecclesia merito videantur? Quorsum enim in Dei Ecclesiam inuehuntur λογισμαί, quas damnat I. Ti. 6. v. 4.? Quod monuisse fuit operepretium propter eos, qui nobis hodie controuersiam de hoc vocabulo *Persona* mouent.

CAP. XVIII.

De voce PERSONA queritur, an rectè accomodetur Diuinis Personis.



ANC quæstionē vel de Græco verbo mouēt, vel de Latino. Græcum verbum est *ἰπὸσωσις*: Latinum autem *Persona*: vide Lomb. 1. Sent. Dist. 23. Si de Græco, quicquid à quodam Irenæo

Cap. 18. ISAGOGES CHRISTIANÆ

Grammatico scriptum sit (vt refert Socrat. lib. 3. cap. 7. Hist.) ὑπόστασις vox non semel reperitur in verbo Dei Heb. 1. v. 3. Il. v. 1. & in Psalmis. Apud Patres nihil frequentius, vt apud Athanasium & Basilium contra Sabell. & de significatione vocis ὑπόστασις: & apud Nazian. Docet Damasc. ὑπόστασις & ὑπόστασις idem in rebus singulis & indiuiduis ratione vtentibus significare. Lib. Isagoges cap. 2. Dial. ca. 42.

Si de Latino vocabulo certant, certè constat ὑπόστασις & ὑπόστασις promiscuè à Patribus Græcis vsurpari in hoc argumèto pro eodem, à Bas. in Homil. contra Sabell. & in lib. contra Eunomium, ab Athanas. in quinque Dialogis contra Arrianos, à Nazianz. ὑπόστασις autè dici & verti *Personam* Latinè, (vt de acceptione ipsa vocis non agatur) nemo est tam Latinè ignarus, qui nesciat.

Personam autem id esse, quod ab alio eiusdem generis seu speciei quæ ad Substantiæ prædicamentum pertinet, inuiduo separatam per se existit suis quibusdam characteribus & proprietatibus distinctum & secretum, certo certius est. Inde Personæ Dramatis leguntur in tragædiis, & comædiis. Inde personæ distortæ dictæ ab Actio, citante Varrone lib. 6. de ling. lat. Sic in coniugâdis verbis Varroni lib. 7. dicuntur tres personæ, quoniam non potest eadem res, homo idem significari per vocem *amo*, quæ per vocem *amas*, aut *amat*. Ergo indiuiduum, quod suis proprietatibus sic ab alio distinctum ac separatum est, vt cum eo cõfundi non possit, sed existat per se, dicitur *Persona*.

na. Inde à Varrone li.8. de Ling. Latina verba dicuntur esse trium Personarum. Denique Personam pro homine usurpauit Celsus lib.1.

Primi Sabelliani exagitarunt hanc vocem *ὑπόστασις*, seu persona: postea Arriani, uti *ὁμοούσιον*, quod vtrumque tanquam sibi minus commodum, expungi vellent. Tripart, lib.6. cap. 20. sed illi fuerunt hæretici. A Patribus autem omnibus Græcis & Orthodoxis vox *πρόσωπον* & *ὑπόστασις* pro eodem sumpta est, *ὑπεστάμιον*: à Latinis verò pro vocibus illis Græcis, vox *Persona* posita est, quoties videlicet distinctè voluerunt occurrere tum Arrianis, tum Sabellianis. Cæterùm videamus, Quas illi suæ sententiæ rationes habeant afferantque qui contrasentiunt, & vocem *persona* in hac disputatione de Patre, Filio, & Spiritu Sancto improbant.

1 Vox Persona, aiunt, est à rebus creatis, ac proindè dissimillimis sumpta. Concedo. Sed nisi id facere liceat, quum de Deo disputamus, nunquam erit de Deo loquendum. Nostris enim verbis, & à rebus creatis sumptis de Deo agentes loquimur.

2 Aiunt, Personam de iis indiuiduis dici, quæ re ipsa separatur loco à sese, ut alibi consistant. At diuinæ Personæ non separantur loco, sed tantum distinguuntur realiter inter se. Ergo non dicuntur propriè tria illa diuina *ὑπόστασις* Personæ. Thomas in 1.2<sup>a</sup> Quæst. 29. Art. 3. hanc questionem mouet, sed respondet, & quidem rectè, quum nihil melius in nostris verbis aut perfectius habeamus, quo illam trium *ὑπόστασις*



Cap. 19. ISAGOGES CHRISTIANAE

iam certo modo in indiuiduis singulis concludit, & finit, & Indiuiduum determinatum dicitur, & Persona sine *ὑποστάσις*, modò sit natura & substantia intelligens. Nam *Persona* vox ad Indiuidua irrationalia non pertinet, vt docent Scholastici, veluti ad Bucephalum equum, vel Rhebum, sed tantum ad ratione vtrètia indiuidua, veluti ad Homines; Angelos. Aug. in Enchirid. cap. 58.

Ergo quèadmodum vox *οὐσίας* vexata fuit ab hæreticis, sic etiam vox *ὑποστάσις* seu Personæ, præsertim in diuinis. Ex quo factum est, vt nonnunquam vterentur Patres, maximè Græci, aliis vocibus, ad eas diuinas Personas significandas. Nam eas vocarunt *μετέστητα* aliquando, aliquando *ὑποστάσις*, sæpe *ὑποστάσις* dixerunt. Quin etiam *ἄτομα* (quanquam hoc vocabulo vsi sunt omnino in hoc tam augusto argumento rarissimè) quòd nimis exilis vox *ἄτομα* in hac disputatione videretur, esset quæ magis ad res creatas, & diuisionis capaces accommodata: Diuisio verò in personas diuinas non cadit, ne per somnium quidem. Persona à Latinis dicta est à Personando, quemadmodum annotat A. Gellius lib. 5. Noct. Att. cap. 7. Nā in Theatris qui obuoluta facie & intecta sonum edebant, aut loquebantur, Personæ sunt dictæ. vnde personata fabula apud Fest. Pōp. Ab iis significatio translata est ad homines, qui seorsim agunt & mouent se, non etiam ad pecudes. Ex quo factum est, vt quoniam singuli homines se mouent & agitant, ac seorsim subsistunt, singuli quoque appellentur Personæ. Et quoniā hi ratione vtuntur, hæc vox ab Hominibus ad Angelos, & ad  
 Diuina

Diuina illa *ὑπόστασις* significāda ad exemplum  
 Apostoli ad Heb. cap. I. v. 3. accommodata fuit,  
 Damasc. in Dialect. cap. 43. viderur distingue-  
 re inter *ὑπόστασις* & *προσωπον*, vt *ὑπόστασις* demum  
 agentem aut operantē aliquid vocet *προσωπον*.  
 Verūm tandē sic concludit, Orthodoxos Pa-  
 tres vsos esse pro eodem, Hypostasi, Persona,  
 & Indiuiduo, Græcè *ὑπόστασις*, *προσωπον*, *ἀτομον*.  
*ὑπόστασις* autem duplicem significatiōē tribuit,  
 vnam, vt generaliss. & confusè *οὐσίαν* significet,  
 quæ res turbas & errores magnos excitauit: al-  
 terā, quæ id notet, quod per se existit, nume-  
 ro ab alio eiusdem speciei indiuiduo differēs.  
 Ergo essentia in vno aliquo indiuiduo subsi-  
 stens, & suis accidentibus & differentiis ab al-  
 io indiuiduo diuersis vestita, secreta, defini-  
 tāque est *ὑπόστασις*. Quare præter essentiā cōri-  
 netur quoque ac cōprehenditur in *ὑπόστασις* &  
 existētia seu subsistentia, omniū itē peculia-  
 riū illi indiuiduo proprietarū aut accidētium  
 congeries & aggregatio, vt ab illo indiuiduo  
 inseparabilis. Plutarch<sup>9</sup> definit Personā *ἀδese-*  
*σιμὸν συμβεληκότων*. Rectè. Personā autem id dici  
 Latine, quod Græcè *ὑπόστασις*, non tantum vsus  
 perpetuus docet, sed etiam disputationes Or-  
 thodoxorū Patrū, Augustini, Hieronymi, Ful-  
 gentii, & aliorū, vt qui eā vocē fugit, magnas  
 tenebras in hanc disputationē inducat, & er-  
 rori suo latebras quærat sceleratas. Personę i-  
 gitur ratio omnes speciales vniuscuiusq; indi-  
 uidui proprietates, vnā cum illius essētia cō-  
 prehēdit, per quas natura illa cōmunis in in-  
 diuiduo circumscribitur, & finitur. Sed de in-  
 diuidua rationali natura dūtaxat Personę vox

Cap. 20. ISAGOGES CHRISTIANAE

prædicatur. Ita que quum tam verè sint & subsistat in vna diuina essetia tres Personæ, quàm verè sub sua specie indiuidua sūt, in reb<sup>9</sup> creatis: at tamē, vti dixim<sup>9</sup>, alio modo Personæ sūt dictæ. Personæ enim in diuina illa natura tantum distinguuntur inter se: at indiuidua eiusdē speciei & generis separantur tota substantia, & loco, & tēpore. Cæteriùm ex diuerso illo existēdi modo tres illæ personæ inter se differunt, ac distinguuntur. Filius enim est à Patre per modum naturæ Verbi concepti ac filiationis seu generationis. Spiritus autem Sanctus ab vtroque per modum reflexæ in sese dilectionis, quam & spirationem quidam vocarunt.

C A P. XX.

*Quibus modis Personæ distinguantur à sese in Trinitate.*



VOBVS modis personæ à sese distinguuntur in Trinitate, ni mirum	}	1 Relationibus personarū incommutabilibus & incommunicabilibus. 2 Proprietatib <sup>9</sup> effectorū & officiorum.
---	---	--

Alio autem modo distingui nō possunt, quia res illæ Personæ inter se differunt

Non essentia sed proprietate,	Non statu, sed modo agendi,
-------------------------------	-----------------------------

Non potestate, sed persona,	Non diuersitate, sed numero.
-----------------------------	------------------------------

Hæc *Μοναρχία* est: hæc *οικονομία*. Inter relationes Dei ad creaturas, Patris ad Filium, Filii



Filii ad Patrem &c. hæc est differentia, quòd Dei relationes ad creaturas sunt in operibus ad extra, itaque non dicuntur esse reales in Deo, sed relationes Patris ad Filium, & Filii ad Patrem sunt in operibus ad intra, ac proinde dicuntur esse reales in Deo, Thomas in 1. 2<sup>a</sup>. quæst. 28. art. 4.

## CAP. XXI.

De RELATIONIBVS incommutabilibus & incommunicabilibus trium Diuinarum Personarum.

**R**elationes Personarum incommunicabiles hæc sunt, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus procedens. Pater enim non est essentiæ nomen, sed relationis ad personam Filii. Item Filius non est essentiæ nomen, sed relationis ad personam Patris. Itē Spiritus procedens nomen est relationis ad personam Patris & personam Filii. Et quanquā aliud est Patrem esse, aliud Filium esse, non est tamen diuersa essentia. Ergo in Patris nomine ipse per se Pater pronunciat. In Filii autē nomine solus Filius. In Dei autem nomine & Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Ergo Pater ad Filium dicitur, non ad se. Deus autem ad se dicitur.

1. Pater est Deus gignens Filium Deum.
2. Filius est Deus genitus à Patre Deo.
3. Spiritus Sanctus est Deus procedens à Patre & Filio Deo.

Cap. 21. ISAGOGES CHRISTIANAE

1. Pater semper & ab æterno Pater est, quia ab æterno Filium genuit: & sicut nunquam non fuit Deus: ita nunquam fuit non Pater. Nec enim prius fuit Deus, quam Pater.
2. Filius nunquam non genitus, uti nunquam non Deus. Semper itaque fuit Filius, uti fuit semper Deus. Pater non de Filio, Filius de Patre est: Patri tamen est coæternus Deo. Filius Deus Filius est Dei sine matre.
3. Spiritus Sanctus ex utroque procedens, non ingenuus, uti Pater: non genitus, uti Filius: sed procedens: non factus, sed Deus: non in tempore, sed æternus.
1. Pater nunquam fuit, eritue Filius. Neque enim nunquam fuit non Pater: ita nunquam desinet esse Pater.
2. Filius nunquam erit, fuitue Pater, vel Spiritus Sanctus. Sed ut nunquam fuit non Filius: ita nunquam erit non Filius.
3. Spiritus sanctus nunquam fuit, eritue vel Pater, vel Filius. Sed semper uti fuit, sic erit ab utroque procedens.
1. Pater solus Pater, non quia non solus Deus, aut separatus à Filio, sed quia solus Pater est.
2. Filius solus Filius, non quia separatus à Patre, sed quia solus est Filius. Genitus est Deus de Deo, nec Deorum numerus creuit, August.
3. Spiritus Sanctus solus Spiritus, non quia tamen separatus à Patre, & Filio. Filius autem & semper gigni & genitus de Patre dicitur,  
quia

quia perpetua est illa actio Patris. Lomb. lib. 1. Sent. Essentia tamen de essentia non dicitur propriè nata: sed persona de persona, vt Lateranensi concilio orthodoxè fuit definitum, quicquid impiissimus ille G. Genebrardus Monachus in libris de Trinitate sentiat. Quomodo verò Natiuitas Filii differat à Processione Spiritus Sancti pulchrè explicatur à Scholasticis, in primis autem à Thoma in 1.2. Quæst. 30. Art. 2. & 3. & Quæst. 32. Procedit enim Filius ex Patre per modum similitudinis, naturæ, intellectus, vnde ista Processio vocatur Generatio. Procedit autem Spiritus Sanctus, non ab vno tantum: sed ab vtroque, Patre & Filio, non per modum similitudinis, ac naturæ, sed amoris, ac charitatis suam illam essentiam totam complectentis, Vnde ista Processio non potest dici Generatio, sed nudo Processionis seu *Εκπορεύσεως* nomine vocatur. Quanquã tamen illud Nazianzeni verum est, quum vnum cogito, trium incomprehensibili luce statim inuoluo.

## CAP. XXII.

*De PROPRIETATIBVS Personarum  
Diuinarum in genere effectis, seu  
Operationibus earum.*



Proprietates autem per quas Personæ singulæ distinguuntur in Trinitate, & quas Basilus *Χαεραμενιστῆς ἡ ὑπεριστῆς ιδιότης* appellat lib. 1. & 2. contra Eunomium, considerantur  
E. iij.



Cap. 22. ISAGOGES CHRISTIANAE

partim ex officiis earum personarum, partim autem ex effectibus, in opere Creationis & Redemptionis. Ac ex officiis quidem sic dicitur donum salutis nostrae esse Gratia Patris, Opus Filii Christi, Efficacia Spiritus Sancti. Item sic Pater distinguitur & describitur, { Creator. { Omnipotens, Filius autem sic distinguitur & appellatur, { Redemptor, { Sapientia. Spiritus autem Sanctus item sic distinguitur, quia est { Viuificator seu { Consolator. { Regenerans, seu Sanctificator.

Vnde etsi Trinitatis est vnitas in essentiali tamen in partibus salutis nostrae perficiendae, & mundi huius administratione propria est cuiusque Personae operatio, quae non est alii communicabilis. Nam Trinitas non est nata de virgine, non est crucifixa, non sepulta, sed solus Filius. Itaque proprium est opus Filii, quod homo factus est, passus est, resurrexit, non item commune opus Patris & Spiritus Sancti. Item Trinitas non dixit, Tu es filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitum est, sed solus Pater. Mat. 17. v. 5. Item Trinitas non obumbravit virginem, sed solus Spiritus S. Luc. 1. v. 35. Neque ideo vnaquaeque persona vel officium suum vel effectum in Scriptura distinctam habet, quod vnaquaeque per se inualida fit operari: sed quia vnaquaeque persona in Trinitate re ipsa distincta est. Simul tamen in operibus ad extra operantur, quia est indiscreta trium natura seu proprietas.

Ex effectis item potest in Scriptura quedam personarum distinctio observari, nimirum ex forma loquendi, quam sequitur Scriptura. Ergo quum Scriptura

loquitur de Patre, sic ferè ait, { A quo velut principio rerù omniù & origine, Ad quem velut ad verum finem rerum omnium.

Quum autè eadem Scriptura loquitur de Filio, sic ferè dicit, { Per quem tâquam Mediatorè & necessarium dispositorem. In quo velut materia & fundamèto omnia sunt.

Quum autè loquitur de Spiritu Sancto, sic ait, { Ex quo tanquam motore & agète, & nos, & in nobis. Et, Quo velut sustinente, fouente & efficiente rerum omnium causa.

1. Cor. 8. v. 6. Rom. 11. v. 36. Basil. in lib. de Spiritu Sancto. Observat enim has tres voces, *eis, de, &* quæ tribus personis conveniunt, Patri, Filio, & Spiritui Sancto, etsi tamen sæpè confunduntur.

### CAP. XXIII.

#### De DEO PATRE siue Creatore

**P**ater dicitur principium & origo & fons, & similibus nominibus appellatur, idque relatiuè. Pater verò dicitur propriè relatiuè ad Filium. Principium autem & origo relatiuè ad ea o-

Cap. 23. ISAGOGES CHRISTIANAE

omnia quæ ab eo creata sunt, vt putat Augusti-  
 nus, non autem ad Filium. Causam enim diu-  
 nitatis Filio Pater non dedit, quanquã homi-  
 nes patres filiis suis dant causam vitæ & essen-  
 di, sed ipse Filius Patri æqualis est. Phil. 2. v. 6.  
 Potest tamẽ Pater dici Principium ad Filium,  
 non tamen Principium & origo Deitatis, Filius  
 vel Spiritus Sanctus, ne eos faciamus Patre mi-  
 nores. Neque enim Filius, quã Deus est, pote-  
 statem à Patre habet, aut vim diuinitatis, quæ  
 habet in sese. Errant igitur, qui Deum Patrem  
 appellari putant, tanquã sit fons diuinæ vir-  
 tutis in duabus aliis personis, nimirum Filio  
 & Spiritu Sancto, à quo Patre in Filium &  
 Spiritum Sanctum defluxisse Deitatem tra-  
 dunt, tanquã posteriorem Deitate Patris, &  
 ab ea mutuantes suas illas proprietates Dei-  
 tati essentielles. Itaque Patrem Deum Essen-  
 tiatorem appellant, vt superiorem illis ac ma-  
 gis Deum. Sed falluntur, quia par est trium po-  
 testas. *Ego & Pater*, ait Christus, *unum sumus*,  
 Ioan. 10. v. 30. Appellant quidem Patres sæpè  
 Filium essentialium, Patrem causam & fõtem,  
 sed personarum tantum ratione. Errant ergo  
 qui Patrem putant

	Deitate	
esse Filio maiorem & Spiritu Sancto	}	Honore
	}	Gradu
	}	Nomine ipso Patris.

Est enim hæc hæresis Concilii Sirmii Ar-  
 riani, vt tradit Hermius Sozom. lib. 4. cap. 6.  
 Hist. suæ. Filii enim nomen in Trinitate subie-  
 ctionem non significat, sed relationem tan-  
 tum,



tum. Subiectio igitur Deo Patri debetur à suis  
 creaturis omnibus, non autem à Filio, quâ  
 Deus est, neque etiam à Spiritu Sancto. Vnde  
 etiam immanissima fuit illa Eudoxii Arriani  
 Episcopi in concione sua vox, quam apud po-  
 pulum Cōstantinopoli habuit, quum Patrem  
<sup>etiam</sup> Filiū autem <sup>etiam</sup> id est, Patrem colen-  
 dum, non colentem: Filium cultus expertem  
 & cultus capacem dixit, vt est Tripart. Hist.  
 lib. 5. cap. 30. ob quam etiam meritò Episco-  
 patu deiectus est. Hic idē Pater dicitur Crea-  
 tor, non quòd mundi Creatio non sit totius  
 Trinitatis commune opus, vt diximus: sed  
 quòd rerum creatarum ratione prima origo  
 nominetur Pater. Errant etiam, qui alium pu-  
 tant Deum mundi Creatorem appellari, a-  
 lium autem Patrem Christi, Col. 1. v. 15. & 16.  
 qualis Marcion.

## CAP. XXIII I.

De CREATIONE mundi, & eius  
 causis.

pus Dei in genere { Creationis, &  
 est duplex, { Redēptionis.

Hic tantū agitur de opere Crea-  
 tionis, quod apparet in mundi  
 Creatione. Quidam mundum  
 hunc opus esse dicunt indignum Deo, quòd  
 Deus sit bonus, & immutabilis, Mun-  
 dus autem hic malis est plenus, & infinitas re-  
 rum, temporum, tempestatum mutationes ha-

Cap. 24. ISAGOGES CHRISTIANAE

bet. Hoc sensit Marcion. Sed illi nequaquam cōsiderant mundi huius pulcritudinem & ordinem. Quas enim vocant mutationes rerum, sunt vicissitudines statę & certę ad earum rerum, que in hoc mundo viuunt, statum vitamę que conseruandam. Et omnium hominum vna vox & consensus est, Mundum hunc pulcherrimum quoddam opus esse. Itaque volunt ab ornatu mundum à Latinis, à Græcis *κόσμος* appellatum. In Epist. Heb. 3. v. 4. appellatur Domus Dei, quia non modò totus ipse mirum est Dei opificium, sed singulę etiam eius partes. Itaque nemo sanus tanti operis alium vnquam auctorem, quàm Deum, fecit. Vide lib. Arist. de Mundo. Et ab omnibus communi illo Epitheto Deus ornatur, Quòd sit Creator & Dominus cęli & terre. Gē. 14. v. 19. & 22. quod etiam ab Ethnicis ipsis agnitum est. Ceterum creare solius Dei proprium est: nulli verò creaturę, quantumuis excellenti, competit, aut communicari potest, de quo Scholast. & Thomas in 1. 2<sup>a</sup> Quęst. 45. Est enim creare ex nulla præcedente materia condere, facereque aliquid. Quod ne Angelis quidem conceditur. Itaque neque Diabolis, neque Magis. Thomas in 1. 2<sup>a</sup> Quęst. 45. Ar. 4. contra Lomb. lib. 4. Dist. 5. Tantum autem est & tam dignum Deo opus hoc mundi, vt si quis in illud intueatur, miraculum oriatur ex miraculo. Hoc quidem verum est, si artificis ipsius, id est, Dei omnipotentia spectetur, cui omnia factu facilia fuerunt, opus hoc miraculosum mundi penè nõ esse pro miraculo habendum.

Sed

Sed nobis miraculum est hic mundus, non autem ipsi Deo, qui eius non laboriosus, sed facilis creator fuit. Gen. I. Atque in hoc mundi opificio, sicut in cæteris, quatuor

eius causæ tractandæ sunt,

Efficiens  
Finis  
Materia  
Forma.

Et quia de efficienti eius causa ex superioribus constat, est enim is Deus: de reliquis tribus videndum est. Errant enim, qui Angelos huius mundi opifices, & fabricatores esse sentiunt, vt Simoniani Hæretici.

C A P. XXV.

*De FINE propter quem mundus  
creatus est.*



Vndum hunc creauit Deus, vt in eo suisque illis operibus aspectabilibus se tanquam in speculo nobis penè conspiciendum ostenderet. Itaque vt per ea agnosceretur, ac proindè perpetuò laudaretur, vt passim propter opera sua dicitur laudandus. Psal. 104. 147. & Iob. 36. & 37. Quum autem Deum dicimus ostendi & patefieri in his suis operibus, id est, in mundi huius visibilis fabrica, non ipsam quidem Dei essentiam conspici posse volumus in hoc mundo, sed eius tantum proprias & essentielles virtutes vel attributa cognosci, nimirum bonitatem, sapientiam, potentiam, vt ipse Paulus in-



Cap. 25. ISAGOGES CHRISTIANAE

terpretatur Rom. 1. v. 20. Heb. 11. v. 3. & Petrus  
 1. Pet. 2. v. 9. Et quod neque hodie, neque vn-  
 quam satis sufficienterque Deus ex mundi hu-  
 ius inspectione seu conspectu cognosci po-  
 tuit, sit ob nostrum stuporem, & natiuas tene-  
 bras, quæ regnant & sunt in nobis peccati ef-  
 fecta: non quòd sat ampla diuinæ maiestatis  
 insignia & testimonia vel in minimis quibus-  
 que mundi huius partibus insculpta inscripta-  
 que à Deo non sint, etiam hodiè corrupto  
 mundo, si modò naturales oculos ad ea cer-  
 nēda haberemus. Secundo quoq; loco dicitur  
 hic mundus hominis causa conditus, vt esset  
 qui hñc Deum glorificaret, Gen. 2. v. 19. Ps. 8.  
 Etsi autem infinitæ Dei proprietates & virtu-  
 tes ex hoc mundi opificio benè considerato  
 colligi atque verè cognosci possunt, nos tamē  
 tres tā: ūm explicabimus, Potentiam, Bonita-  
 tem, Sapientiam. Ac Potentia quidē Dei in hu-  
 ius mundi Creatione apparet

- |    |   |   |                   |
|----|---|---|-------------------|
| 1. | } | Omnia ex nihilo<br>fecit, quod est<br>Creare propriè, id<br>est, non ex nihilo<br>tanquam ex ma-<br>teria fecit, sed<br>quū nihil essent,<br>fecit vt essent. | { Magna<br>Parua. |
| 2. |   | Omnia peræque<br>fecit,   |                   |

Nisi enim omnipotēs esset, nō vna, eadēque  
 potestas & summa & ima, & magna & parua,  
 & excellentia & humilia fecisset. Omnia enim  
 hæc

hæc differunt, & diuersam opificis manum & vim requirunt 1. Cor. 15. v. 41. Psal. 89. vers. 10. Tanta igitur rerum creatarum diuersitas ostendit & opificis infinitam potestatem, & vnamquamque earum rerum esse, non hoc, quod ex se habere potuit, sed hoc quod ex dispositione omnipotentis Creatoris accepit.

Bonitas autem Dei in mundi huius creatione, apparet item duobus de nominibus, & quod

1. Omnia quæ creata sunt, valde bona sunt Gen. 1.  
 2. Singulis rebus creatis vitæ conseruandæ & sustinendæ cibis, ratio, & modus à Deo constitutus est proprius Psal.

104. Nam quemadmodum diuersa animalium genera creauit Deus, quorum diuersa est natura, & appetitus, & temperamentum: ita singulis non modo generibus, sed singulis generis eiusdem etiam indiuiduis dedit proprios, conuenientesque cibos, dedit naturalia remedia aduersus morbos, uti cani cyanum, ceruæ vulneratæ dictamum: item & tela, armaque naturalia dedit pro illius temperamento, cuique animali: uti ceruo pedes: leoni dentes: tauro cornua ad sui defensionem. Quæ omnia meram & singularem Dei erga omnia & singula opera sua bonitatem & benignitatem arguunt, quæ quidem nobis est incomprehensibilis. Inde illud natum est, *Deus & natura non desunt in necessariis*. Verum si quæ peculiariter contulit in vnum hominem innumera beneficia cogitemus, eadem Dei bonitas etiam lon-

Cap. 25. ISAGOGES CHRISTIANAE

gè maior atque innumerabilior, profusiorque  
apparebit. Eph. 3. v. 18. Act. 14. v. 17. Denique  
ipsamet Dei benignitas & bonitas mouit eū,  
vt hunc mundum conderet, quòd sua bona &  
beatitudinem aliis quoque rebus pro earū ca-  
ptu cōmunicare vellet, vt Angelis & Homi-  
nibus. Sed quæritur de serpentibus, venenatis-  
que animantibus & feris, & herbis, quæ noxia  
sunt: item quæritur de Diabolis, quomodo di-  
citur Deus creasse omnia bona. Resp. Ista non  
sunt talia facta, qualia nunc sunt. Nam & qui  
nunc Diaboli sunt, angeli boni creati sunt: sed  
ii spontè peccarunt, propriâque malitia à Deo  
& à prima sua natura, seu origine deflexerunt,  
Iud. Epist. v. 6. Item qui serpētēs venenati ho-  
diè sunt, itemque mala pharmaca & herbę no-  
centes nobis, illæ sunt terrę post hominis pec-  
catum maledictæ fructus. Ergo in iis non vi-  
tium creationis apparet, sed pœna tantùm sup-  
pliciumque peccati hominis. Quanquã hodiè  
hæc ipsa omnia, quę vnã fortassè aut alteram  
totius huius vniuersitatis partem ledūt & de-  
struunt, sunt tamen in toto hoc mundo neces-  
saria, ad totius huius mundi incolomitatem  
pulcritudinemque conseruandam. Sunt igitur  
hæc herbæ velut terræ excrementa eie-  
cta & exhalata. Plutarch. in libr. de Iside &  
Osiride.

Sapientia



Sapientia deniq; Dei  
in huius mundi Cre-  
atione apparet mira,  
duabus de causis, &  
quòd

1. Omnia hæc or-  
gine pulcherrimo cõ-  
stant, suũque finẽ &  
vsum singula habet,  
& , vno homine ex-  
cepto, seruant.

2. Omnia certo, cõ-  
stati & perpetuo cur-  
su, regit & admini-  
strat Deus.

Nam non modò in toto hoc mundi tantõ-  
que opificio certæ partes cõstitutæ sunt, qui-  
bus illud componeretur : sed etiam quæque  
pars suo ordine constat ipsa per se, suũque  
vsum habet. Nam terra feras & homines ce-  
pit, volucres agitabilis aër: Cælum ipsum, &  
quæ in cælo sunt, Sol, Luna, & cætera sydera  
posita sunt nobis in tempora, signa, dies, &  
annos. Itaque suus cuique rei & conueniens  
locus datus est. Prætereà quæque res suam  
vtilitatem habet, & is est ordo, vt inferiora à  
superioribus pendeant, & regantur. Hæc  
omnia breuiter explicamus, quoniam in pri-  
ma parte Phyces nostræ Christianæ sunt fu-  
sus à nobis tradita.

C A P. XXVI.

*De MATERIA Mundi.*

F. j.



**M**A T E R I A in creatione Mundi nulla fuit. Omnia enim hæc quæ sūt, & quæ videmus immēsa, & per locorum spatia tam longè latèque diffusa, quum non essent omninò, ex nulla materia, ac ex nihilo primùm creata sūt. Est enim illud Creare, ex nihilo facere aliquid. Sed sola Dei volūtas, solumque eius verbum fuit satis & pro materia & pro instrumēto agendi. Dixit enim, & facta sunt. Psal. 33. v. 9. Neque verò quòd vnus tantùm Mundus creatus est, defectu & inopia materiæ id euenit. Dei enim voluntati etiam facultas adiacebat, vt si vellet, plures vel etiam infinitos mundos faceret, sed vnū tantùm facere voluit. Neque etiam Mundi huius fabricam illi suæ immensæ potestati parem & æqualem fecit, & commensurauit: sed quæcunque Deus voluit, & vt voluit, sic fecit. Huius enim Mundi cōpositio ne millesima quidē infinitæ illius potestatis & sapientiæ Dei pars est. Postquam autē res creatæ sunt, illis quæ speciē vitæ habebāt, vim seminificam & proleteriā iniecit, id est, procreatricem & prolificam, ne vel indiuidua à se creata morte deficerent, nisi simili iustauratione & procreatione successionēque conseruaretur genus ipsam: vel ne miraculū ipsum creationis vilesceret, si denuò iterum vel sapius repeteretur. Hæcigitur, quæ nascuntur hodie, ex semine nascūtur, quod vim procreandi à Deo habet. Prima autē indiuidua, quæ in quoque rerū genere & specie procreata sūt, ex nullo præcedēte semine nullaque subiecta & præ-

& præordinata materia facta sunt, id est, ex nihilo Gē. I. 22. Cæterum vnaquæque species, nõ autē singula illius speciei individua, primùm à Deo creata fuit, vt quæ vis, natura, cõditio, & lex à Deo data esset illi individuo, illa maneret in tota specie integra & tota, nisi homo ipse cuius causa etiam conditus est hic mundus, à Deo deficeret. Vnde, vt Iustinus Martyr existimat in lib. Exhortat. ad Gentes, melius atque significantius Deus in Sacra Scriptura *πρωτης* appellatur, quàm à Plarone & Philosophis *ἀνευουργος*. Est enim *πρωτης*, qui ex nihilo aliquid facit: at *ἀνευουργος*, qui ex inordinato aliquo tantùm aliud ordinat, & construit. Errant igitur Hermogeniani hæretici, qui Stoicorum sententiam secuti materiam Deo cœternam induxerunt, ex qua Deus omnia fecisset. Nulla enim fuit. Alioqui duo Dii sunt, si sunt duo diuersa rerum principia æterna. Neque quod aiunt Philosophi, *Ex nihilo nihil fit*, potest hanc Scripturæ fidem & veritatē conuellere, quia hoc principium, *Ex nihilo nihil fit*, verum est in natura iam creata, non item in Deo, vel in natura creanda, quæ nullis adhuc huiusmodi Physicæ Philosophicæ legibus subiiciebatur, quia necdum illa Philosophiã naturalis erat, quum adhuc nullæ res naturales essent, sed Deus vnus, in quem leges naturæ non cadunt.

## CAP. XXVII.

## De FORMA Mundi.



**F**ORMA Mundi est duplex, Vna interna, altera externa. Vtraque duplex, vel generalis totius mundi, vel cuiusque illius partis propria, vti terre, aque. Nos hinc agimus tantum de ea, quae vniuersalis est, & toti mundo communis. Reliquae enim, velut particulares & internae, partim ad Physicos, partim ad Medicos pertinent. Ergo mundi huius Forma non modo in quadam externa rerum conditarum pulchritudine consistit, & aptissima earum inter se conjunctione & collocatione, quae Ordo appellatur: sed etiam in ipsa interna, & totius huius vniuersitatis & singularum eius partium vi & natura, de qua longior, vti dixi, fusiorque disputatio ad Physicos proprie pertinet. Nobis igitur quantum ad hanc externam rerum faciem & formam explicandam attinet, sufficit in

	{ Simplicissima mundi huius corpora consistere simplicissima }
genere & in summa si dicamus	{ Item conuenientissimo atque congruentissimo ordine omnia inter se esse aptata. In quo non modo magna quaedam nobis aspicientibus pulchritudo se offert, sed etiam vtilitas commoditasque videntibus.
	{ Figura, & Motione.

Ac simplicissima quidem mundi corpora, quanquam si Elementa cum Cælo comparentur, Cælum est corpus magis simplex: Elementa verò iam sunt compositiora, vt docet Aristoteles,

}	Cælum	}	Ignis
	ipsum,		Aër
}	Elementa	}	Aqua
	quatuor,		Terra.

Hæc omnia constant circulari atque rotunda figura (quia simplicissima ac perfectissima est) non modò tota ipsa corpora, sed eius etiã singulæ partes. Nam quæque aquæ gutta rotunda est, vt totum ipsum aquæ elementum rotundum. Quod autem ad corporis Motum

}	Cælum circulari motu,
	Elementa ad rectã lineam mouentur.

Voluitur enim cælum perpetuo motu, item quæ in cælo sunt, vt Sol, Luna, quæ sidera nobis & die & nocte lucent.

}	Ignis	}	fursum ad rectã
	Aër		lineam propter
Ex Elementis autem		leuitatem feruntur in cælum:	

}	Aqua &	}	propter grauitatem feruntur deorsum ad mundi huius centrum.
	Terra		Situs autem cuiusque elemèti est eius naturæ convenientissimus. Nam terra non cooperitur tota aquis, sed ad hominum

Cap.27. ISAGOGES CHRISTIANAE  
 fedes & aliorum animalium habitationem  
 magna eius pars arida relicta est, vt ab iis co-  
 leretur, Pſal.104. In aquis enim neque homi-  
 nes, neque terrena animalia viuerent, Quod  
 autem terra etiam montes statim habuerit,  
 non tantum post diluuium ex aquarum deflu-  
 xu (vt quidam existimant) factos & natos: id  
 factum est propter ferarum ipsarum naturam,  
 quæ his locis, vt propriis sedibus & domici-  
 liis, delectantur, & vt ad maiorē hominis com-  
 moditatem valles & campi pinguiores essent.  
 Quod autem ad generalem & internam mun-  
 di *φύση* & formam attinet, ea à nobis cerni o-  
 culis corporis non potest, sed est latens quæ-  
 dam virtus à Deo cuique rei pro suo genere  
 indita, per quā ea res viuit & mouetur in suo  
 genere, & alitur & gignit, & sua munia obit à  
 Deo præscripta. Verum tamen vt facilius hæc  
 quoque rerum natura & forma intelligatur,  
 tres rerum creatarum diuisiones & considera-  
 tiones afferemus, idque ad Dei ipsius gloriam,  
 potentiam, & sapientiam demonstrandam.

Prima autem ex loco siue ex situ ducta est,  
 Nam mundi huius pars

alia dicitur	{	Superior	}	Firmamētum &
		siue Ætherea		Septem Planeta-
		quæ habet		rum orbis:
alia dicitur	{	Inferior siue	}	Ignem
		Elemētariis		Aerem { quæ di
		quæ habet		Aquam { cūtur.
		Elemēta 4.		Terram,

Infe-



Inferiora autē corpora à superioribus influentias quidem aliquas accipiūt, & ab iis reguntur, nō necessitate quidem ineuitabili, sed mutua tantū *mutua* & impulsione, quā superiora corpora in inferiora agunt, non etiam in hominū animas. Nam Physicæ causæ, quæ sunt corpora superiora, in Metaphysica, qualis est animus hominis, non agunt. Quod vel vnum argumentum satis totam illam Iudiciariam Astrologiam vanam esse docet.

<p>Secunda verò cō- sideratio ex rerū ipsarū natura ducta est. Nam re- rum aliæ sunt</p>	<p>Incorpo- reæ siue Spiritua- les, vt  Corporeæ &amp; eæ, vel</p>	<p>Angeli, Animæ homi- num.  Ani- mata tan- tū, vt Ani- malia &amp; ea vel</p> <p>Lapides Arbores  Irrationa- lia, vt bru- ta Rationalia, vt homines</p>
<p>Tertia de- nique di- uisio ex earū rerū duratio- ne sumi- tur. Rerū creatarū aliæ sunt</p>	<p>Immorta- les, &amp; eæ vel  Mortales, &amp; eæ etiā vel</p>	<p>Ex toto, vt angelis: Ex parte, vt homi- nes, quorum anima solū est im mor- talis: Ex toto, vt bruta, arbores: Ex parte, vt homi- nes, quorū corpo- ra tantū moriun- tur, nō etiā animæ.</p>

Cap.28. ISAGOGES CHRISTIANAE

In rebus autem creatis nihil est æternum, quoniam omnia habuerunt initium. Solus autem Deus est æternus, & per se immortalis, 1. Timot. 6. vers. 16.

C A P. XXVIII.

*De TEMPORE Creationis Mundi.*

**P**Æc autē omnia creata sunt non ab æterno, sed temporis principium seu initium habuerunt. *In principio enim creauit Deus celum & terram.* Nomen autem Principii ad temporis, non autem ad causæ duntaxat initium refertur, quanquā Aristotelici contrā sentiunt: nimirum hæc omnia nunquam ortum habuisse, sed tantūm per longas temporum ætates renouata atque instaurata esse, quia tabem ex mutuo quodam influxu superiorum in inferiora, & halitu inferiorum in superiora contrahunt, neque primam, natiuamque puritatem semper retinent. Terram enim & aquam, quam videmus hodie, non putant tam puram esse, quā olim fuerit, clementis sese mutua quadam contagione sensim corruptentibus. Quidam etiam quærent, quum hæc dicuntur principium temporis habuisse, quid antea ergo agebat Deus, quā hæc condidisset? Quibus idem est respondendum, quod senex ille, quem admodum refert Augustinus, respondit, C. hennam, ut, taha quærentibus præparabat. Liben-

Libentius autem respōderim, ait Augu. nescio quod nescio, Confess. II. c. 12. Quemadmodum autem hæc omnia nata sunt, cum crearentur, ita peribunt, & finem consummationēque sunt habitura, vel suam quandam immutationem nobis non perscrutabilē. Sed quādo futurum est istud? Responsio est, Extremo demum iudicii die, Distinctius autem & planius temporis articulus & momentū, quo ista consummatio continget, à nobis dici non potest, quia solus Deus ea momenta nouit, & in sua potestate posuit, Mat. 8. v. 13. 2. Pet. 3. v. 10. & 13. Act. 1. v. 7.

## CAP. XXIX.

*De voce hac PROVIDENTIA.*

**Q**uemadmodum Pater Creator appellatur, quanquam totius Trinitatis commune est opus, mundi huius Creatio: ita idem Pater dicitur Omnipotens, ut eadem hæc fouere, sustentare, regere, atque administrare intelligatur, quæ creauit. Quod totum etiam commune totius Trinitatis opus est ratione ἀπὸ τελέματος. Ergo Dei Omnipotentia pars est potissima, ea quæ à Græcis Θεὸς ἀεὶ βροῦτα. i. Dei Providentia nominatur. Ac nomen quidem ipsum *providentia*, siue Græca, siue Latina spectes, vno verbo eam Dei curam significat, quam de toto mundo, & singulis eius partibus habet. Quāquam autem verbo ἀεὶ βροῦτα sæpè utitur Scriptura, uti 2. Cor.



Cap.30. ISAGOGES CHRISTIANAE  
 8.v.21.Ro.12.v.17. voce tamē *μεγίστη* non item.  
 Itaque ex Stoicorū de diuina natura disputa-  
 tionibus sumpta videtur hæc appellatio, vt do-  
 cet Cic. lib.1. de Nat. Deor. qui post Platonem  
*δὴ μέγιστην* defenderunt. Sed de voce frustra  
 anxie quæritur, quum & propria sit, & in hac  
 disputatione ab omnibus vsitata. Illud modò  
 obseruandum, siue ex Stoicorum scriptis *μεγ-  
 ιστῆν* mutuati sint Christiani, siue ex communi  
 loquendi ratione, nō tamen eodem planè mo-  
 do eadēque significatione à nobis, & à Stoi-  
 cis sumi ac vsurpari. *Προνοία* enim inducunt  
 Stoici eam, quæ sit huiusmodi à Deo facta cō-  
 nexio caussarum ac series, quæ ipsi Deo ne-  
 cessitatem afferat. Itaque eam vocant etiam  
 Fatum.

C A P. XXX.

*PROVIDENTIA* quid differat à Dei  
*PRÆSCIENTIA*, & aliis quibusdam  
*similibus vocibus.*



Erūm vt facilius doctrina de Dei  
 Prouidentia à nobis percipi pos-  
 sit, est distinguenda ab aliis qui-  
 busdā vocibus, cum quibus affini-  
 tatem aliquā habere videtur, ne imperiti iuue-  
 nes harum vocū similitudine decipiantur, aut  
 magna cum obscuritate abutantur ea voce, res  
 inter se diuersissimas confundentes.

Ac primūm Dei Prouidentiam à Dei Præ-  
 scientia distinguenda est, & separanda, quam  
 eandem

eandem esse multi, sed ineptè tamèn existi-  
mât, vocis annominatione decepti. Ergo Pro-  
uidētia, *προνοια*, sicuti diximus, appellatur: Prę-  
scientia verò *προγνωσις*. I. Pet. I. v. 2. Ac quidem  
in eo vtraque conuenit, quòd vtraque genera-  
lis est. Nam pertinet tam Pręsciētia Dei quàm  
Prouidentia & què ad omnia, quæ nunc fiunt,  
aut quæ sunt, quæ primò antecesserunt, quæ-  
que futura postea sunt. Item, vtraque falli non  
potest aut errare. Neque enim nos ipsi aliquid  
præsciisse dicimur, nisi sic euenerit sicuti præ-  
sciinimus. Ergo neque Deus præscit, nisi quod  
euenit. Vnde certissima est Dei præscientia:  
& quòd Deus præscit, omninò euēturum est,  
vti præscit.

Differt autem in eo Pręsciētia à Prouiden-  
tia, quòd Præscientia Dei nullam rebus neces-  
sitate imponit, quatenus nuda præscientia  
est. Etsi enim necesse est ea fieri, quæ Deus  
præsciuit: non tamē, quia Deus præscit, neces-  
se est fieri, quæ præscit, licet non aliter vera  
esset Dei præscientia, nisi certa præsciret, &  
quæ sunt euentura. Dei autem Prouidentia  
est causa earum rerum, quæ eueniunt. Prius est  
ordine naturæ in Deo aliquid præscire, quàm  
ordinare aliquid. Præscit enim omnia Deus,  
quia & quæ antea fuerunt, & quæ nunc sunt, &  
quæ postea erūt, semper vno conspectu omnia  
Deus cernit. Ergo Dei Præscientia prior est  
ordine naturæ, non temporis ratione, quàm  
ipse rerum præscitarum euentus. Neque verò  
Deus scit à posteriori, quia quale quidque  
futurū esset ab initio mūdi, & ab æterno etiam

Cap. 30. ISAGOGES CHRISTIANAE

præsciuit, non ex rerū euentu. Neque tamē cogit Dei Præsciētia ea fieri, quæ futura sunt, quæque futura præscit. At Dei Prouidentia ea efficit, quæ ordinauit & disposuit. Damasc. contra Manicheos has omnes voces distinguit, *γνώσις πρόγινωσις, ἐπιγινωσις*. i. superueniētem post factam agnitam sententiæ immutationem, *δέσποτον & προοισιόν*, quas singulas illic, pag. 562. definit. Lomb. quoque lib. 1. Sent. Dist. 35. easdem voces, de quibus nunc agimus, explicat, sed ineptè. Differt igitur Præsciētia Dei à Prouidentia, quòd latius pateat Præsciētia, quàm Prouidentia. Nam nihil Deus ordinauit, quod non præsciuerit. Multa autem præsciuit, quæ tamen non ordinauit. Exempli gratia, Deus peccatores præsciuit, non autem fecit, aut ordinauit, quatenus sunt peccatores. Vt igitur nos ipsi etsi meminimus eorum quæ fecimus, tamen non fecimus omnia quorum sæpè meminimus: sic Deus præsciuit etiam, quæ ipse non facit, & quorum non est autor. Quorum autem non est autor, uti peccatorum, eorum iustus est ultor. Iam verò, quanquam ità distinctæ sint in Deo hæ duæ Dei actiones, tamen cōiunctæ sunt re ipsa inter sese in Deo. Neque enim in Deo debet cogitari nuda & inefficax rerum cognitio, & præscientia, ut nihil quicquā aliud Deus agat, quàm quòd futura præscit, sed cum æterno eius decreto, per quod omnia disponit, coniungi, & considerari debet Præsciētia. Itaque in Deo simul est Præscientiæ & Prouidentia, quia non est Deus nudus



das tantum & otiosus rerum spectator: sed etiam auctor & ordinator, Rom. 8. v. 29. II. v. 2.

Porro differt quoque Prouidentia Dei à Prædestinatione, quòd etsi vtraque necessitatem, non autem coactionem (*ἀνάγκη* non *βία*) rebus offert, & falli non potest: tamen latius patet Prouidentia. Nam Prædestinatio est peculiaris seu particularis quidam Prouidentia Dei effectus: ad solos enim homines pertinet Prædestinatio: at Prouidentia ad omnia, etiam ad caelos, & plantas, & passeres. Soli verò homines prædestinati dicuntur. Ad passeres autem etiam Dei cura extenditur, Mat. 18. Præterea in ipsis etiam hominibus Prædestinatio non omnes eorum actus propriè respicit, sed solam salutis vel mortis æternæ ordinationem, & opera, quæ illi subseruiunt, & subordinantur, vt Patres volunt. Latissimè autem atque longissimè differt Prouidentia Dei ab ea virtute, quæ Prudentia nominatur. Primum Prouidentia Dei est: at Prudentia hominùm: Prouidentia Dei falli non potest. Humana verò Prudentia quotidie fallitur. Est autem Prudentia animi humani virtus, quæ in rerum agendarum definitione, & earum mediis deligendis versatur. Docet enim quid sequendum, quidue à nobis fugiendum sit, quæ à Græcis *Φρόνησις* appellatur, quæ & re & nomine prorsus est à Dei Prouidentia separata.

## C A P. XXXI.

*An sit Dei PROVIDENTIA.*

**Q**uatuor ferè sunt eorum, qui Dei Providentiã vel omninò tollunt, vel obscurant, rationes & sententiã. Alii enim Fatũ, alii Fortunã, alii Naturam, huius mundi gubernatricem faciunt, quarti autem civilem Politiam, quam inductã Dei Providentiã tolli & perire clamitant. Sed redeo ad primos. Ii autem sunt

Qui *fato omnia fieri volunt*, vt Stoici, & qui nostro tempore eos sequuntur, magnãque rerũ ignoratione ducuntur. Nam ii (quam Dei Providentiã defendimus) putant nos dicere omnia fato fieri, neque distinguere inter Fatũ & Providentiã Dei, quũ tamen Fatũ aperte damnemus, & Dei Providentiã obstare contendamus, imò aperte cum ea pugnare. Est autem Fatum (vt illi ex Stoicis definiunt) naturalis quãdam rerum omnium necessitas ex æternitate pendens, aliis alias consequentibus post impulsione, & quodam nexu immutabili confertis (quam seriem etiam legem temporis appellant) quæ affert rebus omnibus, etiã Deo ipsi, inevitabilem necessitatem, vbi semel ea series à quopiam impulsã fuerit. Hanc seriem quidam *ἀναγκή* vocant, vel ab eo quòd omnia trahat & cogat, id est, etiam Deũ ipsum, qui est omnipotens tamen & liberrimum agens: vel ab eo, quòd per eam quisque finem vitæ sortiatur: alii autem appellant *παραμένον*. Deum quidem concedunt hanc causarum legem & seriem connexionisse, sed tamen, illi posteaquam semel cõnexa & impulsã est, Deum quoque

quoque ipsum subiici: vide lib. Arist. de Mundo. & Plutar. de Fato. & Aphrodiseū. Hi peccāt tribus modis: Primum quòd ineuitabili etiam Deum ipsum necessitate induunt, cuius neque manus, neque voluntas cogi vllò modo potest. Est enim Deus liberrimum agens, & quæcunque vult facit. Itaque cogi non potest Psal. 115. v. 3. Secundò peccant, quòd etsi Deum huic fato & necessitati non subiicerent, extra tamen Deum, id est, ex aliis, quàm ex Deo, caussis ineuitabilem necessitatem statuunt. Neque enim iam ex Dei voluntate, sed ex illo causarum impulsu & serie eam euentorum omnium necessitatem pendere volunt. Atqui quicquid fit, Dei voluntate fit Iacob. 4. v. 15. 1. Cor. 4. v. 19. & solus Deus ineluctabilem necessitatem affert. Tertiò peccāt, quòd etiam hunc causarum impulsu (vnde illa necessitas) sæpissimè à cælo & astris, vel etiam ab ipsius hominis voluntate, item ab arte vel industria fieri & induci defendunt: vnde hominis voluntas necessitatem quoque Deo afferret, ac proindè imperabit rebus omnibus. At solus Deus, illiusque voluntas regnat, Psal. 96. v. 3. Psal. 97. v. 1. Et hæc quidem de Fato.

Alii autem sunt, qui malunt *Fortunam* esse rerum omnium dominam. Hi planè sunt superioribus dissimiles, quoniam illi omnia in necessitate ponunt, hi verò omnia in temeritate fortunæ. Vtrique tamen Dei providentiam oppugnant. Est autem *Fortuna*, vt illi definiunt, temeraria & inordinata causa eorum



Cap. 31. ISAGOGES CHRISTIANAE

quæ fiunt, siue in iis quæ habent animi electionem, vt homines: siue quæ non habent, vt bruta & cæterę res inanimatæ. Sic enim generaliter Fortunam definiunt, vt ad vtraque pertineat, nimirum & ea, quæ animi electione videntur, & ea, quæ solo naturæ ductu & impulsu agunt. Hanc *τυχὴν* appellant, neque à casu, (quæ Aristoteles *αὐτόματον* nominauit) distinguitur in hac disputatione generaliter sumpta. Hanc igitur Fortunam rerum omnium causam esse dicunt per accidens, quoniam nõ ordine agit, sed perturbatè. Hæc Epicureorum hominum sententia olim fuit, & est adhuc eorum qui Deum irrident, & in cælo ingenio indulgentem atque otiosum fingunt, nihil sibi negotii dantem, neque alteri, vt ipsi loquuntur.

Atqui Deus has res etiam terrenas curat, & iis prospicit Psal. 33. vers. 13. Gen. 18. v. 21. Nam quod illi obiciunt, multa etiamnum hodie casu & temerè euenire, contrarię rationem, in eo falluntur. Enumerant illi quidem varias calamitates, quæ bonis viris acciderunt, atque accidunt, contrarię autem multa commoda & perutilia, quæ improbis quotidie eueniunt, tum ex eo concludunt Deum has res mortales & terrenas non curare, quandoquidem hæc ita fiunt, quod nec Scriptura dissimulat Psal. 73.

Verùm dupliciter isti peccant. Primò enim non considerant, quis sit vtrorumque, proborum nẽpè & improborum in eo ipso exitus, animi consolatio, pax, & spes: sed totam vtrorumque conditionem ex quadam felicitatis infeli-

foelicitatisque externa specie metiuntur. At qui imprimis tum in his tum in illis finis ipse spectandus est, qui est longè diuersus, ac dissimilis, vt est in eodem Psal. 73. & ad Dei promissiones est aduertendum, an pares illæ pariterque fiant probis & improbis Psal. 33. v. 17. Psal. 38. v. 10. & an vtrorumque istorum sit par exitus. Postea Dei consilium non attendunt, quando pios affligit. Quos enim Deus amat, castigat. Heb. 12. v. 6. Neque existimandū est, si cuiuspiam segetibus & vinetis tempestas nocuerit, eum, cui hæc acciderint, inuisum Deo, aut neglectum esse. Certè verba hæc *fortune* & *fortuiti* Paganorum propria sūt, & prorsus ab ore Christianorum debent exulare, nedum quum pro rerum causa sumuntur. Et hæc quidem aduersus Fortunarios istos.

Alii mediam quādam sententiam & viā sequuntur, velut Peripatetici, vt nec omnia necessitate fieri dicāt, nec omnia temerè. Itaque ordinem quendam constituunt, & vim rebus singulis inditam à Deo agnoscūt, quā in quaque re formam siue naturam appellant, Græcè *φύση*. Hæc vis naturalis rem quamque secundum genus suam ad finem sibi proprium & destinatum per media ordinata, vt aiunt, ciet & mouet necessariò ipsa per se. Itaque sic sētunt, vim illam naturæ, postquam à Deo semel insita fuit, satis ipsam per se esse potentem & validam ad agendum sine Deo. Deū autē aiūt in sui contemplatione esse conuersum, & totum in ea occupatum: aut ne omnino sit otiosus in cælo, eum Primum motorem faciūt;

Cap. 31. ISAGOGES CHRISTIANAE

verum singularum rerum, uti herbarum, arborum, alimentorum, virtutem non iam à Deo, sed ab ipsa earum rerum natura esse contendunt. Quid verò ipsis respondemus? *Non in pane ipso vivit homo, sed in omni seu virtute seu verbo, quod procedit ex ore Dei.* Deut. 8. vers. 3. Nec vis alendi, quæ est in pane, ab eius forma vel materia proprie ( si ipsa per se spectetur) pendet: sed ab ipso Deo etiã dictum, & in singulis frustis, Leuit. 26. v. 26. illi datur. Oppugnant igitur hi, qui sunt Aristotelici, perinde Dei providentiam, atque qui Deum quidem præscium rerum faciunt, sed non ordinatorem. Hæc sententiã refutatur à nobis in capite, *Qualis sit Dei Providentiã.*

Alii deniq; ut Dei Providentiã aliqua plausibili ratione evertat, aiunt, si ea locum habeat, nullis iam legibus & politicis constitutionibus (quæ præmia vel pœnas decernant) locum esse, quia nihil fiet à nobis volentibus, si omnia Dei voluntate fiunt. Nec enim, aiunt, Dei voluntati resisti potest ab homine mortali. Ergo cur puniuntur malefactores, quoniam inuiti, non sua sponte peccaverunt. Cur præmio afficiuntur boni, qui etiam nolentes illud facturi tamen erant, quod gesserunt. Et cur Deus ipse, aiunt, malos punit, quos malos esse voluit? Hic hominum prætextus est in suis vitiis celandis, atque in Deum magna cum blasphemia deridendis. Sed illi primum peccat, quod duas illas Dei virtutes inter se contrarias faciunt, nimirum Dei Providentiã & Iustitiam. Virtus autem virtuti contraria non est.

Præterea



Præterea falluntur, utpote qui putent eos, qui flatuta Dei Prouidentia peccant, inuitos peccare, & coactos, quia necessariò peccant. Aliud enim est necessitas; aliud vis & coactio. Deus bonus est necessariò nõ coactò. Ita Diabolus peccat necessariò: sed voluntate tamen & spòte, nõ vi extranea. volentes nõ inuiti sequimur animi nostri prauam libidinem, Iacob. 1. 14. Imò verò & ipsa voluntas nostra vitiosa per se est, & vitiosarum rerum appetens, & sequitur vitium sponte, uti si quis Reus ita quidẽ vincus esset, ut tamẽ tortorem sponte & volens sequeretur. Ergo quum malum non coacti, sed sponte agamus, pœnis legũ & præmiis ciuilibus locus est: neque doctrina de Dei Prouidentia tollit ciuilem politiã, ut impii garrunt.

Ac esse quidem Dei Prouidentiã quatuor ferè rationibus probari potest. E quibus *Prima est authoritas* Scripturæ sacre. Illa enim apertè Prouidentiã Dei confirmat. Neque enim vti nauium fabricator nauim à se extractã relinquit, sic Deus mūdũ à se cõditũ abiecit à cura sua, vel deseruit: sed perpetuò fouet, sustinet, administrat, & ei prospicit. Ex quo fit, ut mira Dei Prouidentiã etiã in minutissimis quibusq; animalibus curãdis describatur Psal. 104. Psal. 139. De<sup>o</sup> nobis assidet, ad eòq; nos dirigit. Hier. 30. v. 23. & ita omnia nobis eueniũt, *ὅτι ὁ θεὸς ἐστὶν ἡμῶν ἀπὸ ἀρχῆς*. ut De<sup>o</sup> per singula momẽta res ciet & impellit. Ergo grauitet Domin<sup>o</sup> ipse apud Prophetas aduers<sup>o</sup> eos cõqueritur, qui negãt Iuã de mundo curã & Prouidentiã. Isa. 40. v.

Cap. 31. ISAGOGES CHRISTIANAE

27. Huius rei & prouidētiæ exēplū extat Gen. 22. v. 8. Item 45. v. 5. Matt. 10. & infinitis aliis locis. Quia verò huius argumenti explicatio pro cuiusq; ingenio latissimè fūdi potest, nos breuitatis causa tria tantū illius capita & argumēta colligemus: studiosus lector plura sibi annotabit. Primum est, quòd quæ maximè fortuitò euenire videntur, ea tamē Dei manu, Prouidentia & volūrate regi & fieri scriptura docet, qualis est retium & sortis seu alcaæ iactus, Pro. 16. v. 33. Ion. cap. 1. Act. 1. v. 26. Luc. 5. Ioan. 21. Secundum, quòd homines ipsi (qui inter omnia animalia vna maximè ratione, & animi electione vtuntur) à Deo ipso tamē necesse habent dirigi, & in omnibus rebus gubernari: tantò magis ea omnia, quæ ratione carent, Prou. 20. v. 24. Hier. 10. v. 23. Prou. 21. v. 1. & 31. Tertium denique ex Scriptura argumētum est, quòd Scriptura sacra refert ad Deum tanquam verissimum authorem singula quæ inter nos fiunt, & in nostra potestate, vel in nobis sita esse videntur, vti liberos procreare.

Itaque Deus est qui	}	Dat liberos & sobolē, Genes. 30. v. 1. Psal. 113. v. 4. 128. v. 3.
		Alit, Deut. 8. v. 3.
		Itē dirigit, Genes. 24. v. 12. 48. v. 16. Iacob. 4. v. 15.
		Opes dat, Gen. 31. v. 9.
		Pluuiā largitur, Act. 14. v. 17.
		Solē suū oriri facit, Mat. 5. v. 45.
		Et sic de morbo & sanitate ceterisque similibus sentiendum & colligendum est ex aliis item Scripturæ locis.

Et hæc

Et hæc de prima generali ratione, per quam ostenditur esse Dei Prouidentiam.

*Secunda generalis ratio*, quæ ad Dei Prouidentiam valet confirmandam, hæc est, Quòd incertæ, dubiæ & falsæ fuissent Prophetiæ, rerumque futurarum prædictiones, atque etiam hodie nullæ essent, nisi Deus mundum ipse regeret. Verùm posteaquam videmus quæ tot antea sæculis prædicta fuerât à Prophetis Dei, euenisse semper & eo modo, quo illi prædixerant, certè à Deo regi, gubernarique hunc mundum atque hæc omnia, concludendum est. Nā non modò vnum quendam, aut alterum euentum prædixit Deus fore: sed nihil penè euentuum memorabilium, quod non prius fuerit à Deo per suos Prophetas pronuntiatum, Amos 3. Idque apertè, non ambiguè, uti Dæmonum oracula solebant quædam pronuntiare: non confusè, sed ipsis etiam nominibus propriis expressis, uti de Cyro apparet, & Iosia, Iosaiæ 45. v. 1. 1. Reg. 13. v. 2. Euentus igitur & implementum prædictionis & prophetiæ est optimum Dei Prouidentia confirmandæ argumentum. 2. Reg. 7. v. 1. & 20. cap. 8. v. 1. & 2. & 3. Huius enim certitudinis Prophetiarum ratio est, quòd Deo vni nota sint omnia opera sua, Il. 41. Acto. 15. v. 18. Itaque sic euenerunt, ut illa prædixerat fore Deus.

*Tertia generalis ratio*, quæ ad Prouidentiam Dei asserendam facit, ducitur ex infinitis rerum exemplis & euentis, quæ aliundè, quàm à Deo, contigisse censerì non possunt. Vnde enim sæpè occultissima antea crimina apertè



Cap. 31. ISAGOGES CHRISTIANAE

deteguntur? Vnde fit vt iusti vnus, veluti Iosephi innocentia sæpè potentissimos aduersarios vicerit? nisi quia Deus omnia hæc temperat, & moderatur. Itaque solidissima atque vberissima consolatio piis & fidelibus ex hoc ipso adfertur, per quam se in mediis afflictionibus & impiorum aduersus se machinis sustentant, quòd Deus nimirum omnia hæc & videt, & cognoscit, & fieri vult, & exitum omnibus rebus facilem & optabilem suis tandem daturus est, quoniam ipsius Providentia regit omnia. Nam nihil horum præter Dei voluntatem fit: nihil impii præter eam vel tentare, nedum exequi possunt, quam sibi esse beneuolam in Domino nostro Iesu Christo fideles sciunt & experiuntur: nec quicquam præter ipsorum salutem decernere, Rom. 8. v. 18. Et certè maximè vnus Ecclesiæ consolandæ causâ Scriptura de Dei Providentia agit, ne se videlicet impiotum furis expositam aut deuorandam putet, vel illa à Deo non fieri administrariue existimet. Ergo infinita sunt euentorum exempla, quæ aliundè, quàm à Deo facta ne à vulgo quidem existimari possunt: qualia quoque sunt ea, in quibus apertissima diuinæ tum iustitiæ, tum misericordiæ exempla, cæque extraordinaria extant, qualis est impiorum regnorum euersio, bonorum virorum liberatio, & instaurata salus, restitutioque Euāgelii hoc nostro tempore, Hic. 1. v. 10. Dan. 4. v. 33. Gen. 41. v. 14.

*Quarta denique ratio* ducitur etiam ex Philosophorum opinione & sententiis, qui, quamquam

quam profani homines, tamen quo quisque  
 corū cordatior, peritior, aut doctior fait, me-  
 liusque de Deo sensisse creditur, & Deum &  
 Dei Prouidentiam huius vniuersitatis guber-  
 natricem cōstituit, veluti Plato in lib. De Re-  
 pub. Cic. lib. i. de Legib. & de Diuinatione. Se-  
 neca in lib. de Prouidentia Dei.

## CAP. XXXII.

*Quid sit Dei PROVIDENTIA.*

**E**T si Prouidentia curam sollicitu-  
 dinemque significat, quam Deus  
 de omnibus suis creatoris in vni-  
 uersum gerit, tamē quoniam ea cu-  
 ra effectū potius est Prouidentia, quā ipsa-  
 met Prouidentia, sic à nobis Prouidentia de-  
 scribatur: Prouidentia est liberrima & poten-  
 tissima Dei actio, per quam non modò vni-  
 uersa, sed etiam singula in singulis eorū actio-  
 nibus ciet & regit. Et quidem dicitur tum li-  
 berrima, tum potentissima actio, quia neque  
 impediri, neque vinciri vlla lege potest. Mo-  
 dus autem ipse agendi in Deo est voluntas, siue  
 velle. Nam quæ voluit, & quæ vult, hoc ipsum  
 est agere siue actio Dei, quia nullo modo la-  
 borat Deus, Isa. 40. v. 28. vt suam voluntatem  
 exequatur: sed prout & sicut voluit, sic fit. Item  
 dicitur non modò ciere, sed etiam regere sin-  
 gula, quia non tantum vim & potestatem agē-  
 di rebus singulis Deus tribuit: sed etiā res sin-  
 gulas ad suos fines, & per media à se disposita

Cap. 32. ISAGOGES CHRISTIANAE

dirigit, ac per suam Prouidentiam ordinat. Et hoc ipsum est, quod ait Paulus vno verbo *Deum ἐνεργεῖν* Eph. I. v. II. 23. & 3. v. 20. Ergo Deus rebus à se creatis vtitur tanquam instrumentis duntaxat, vel secundis caussis: ipse autem est, qui verè agit per eas. Sed etiam quum quidpiam per plura media fieri vult, nō solum primus motor est, vt Philosophi Peripaterici cēsent: sed est etiā secundus, & tertius, & quartus motor, quia quicquid in rebus creatis agitur, ideo agitur, quòd in illis & per illas Deus agat, vti dat soli vapores tollere, dat vaporib<sup>9</sup> nubes fieri, dat nubibus pluias cōcipere, dat pluię cadere. Ex quo fit, vt De<sup>9</sup> mediis ordinariis nō alstringatur, quoniam sine ipsis eadē Deus potest efficere: vòrùm ipsa sine Deo nihil possunt: & quicquid possunt, Deo dante & vires largiente possunt, aliās nihil valitura & effectura, nisi daret posse. Neque Deus est tantum primum mouens, sed est secundum, vti diximus, & tertium, prout subalterna media ipse disponit, per quæ eundem est, vt tandem ad finem perueniatur. Neque hæc sententia tamen tollit aut denegat cuique rei eas vires, quas Deus indidit, vel ad opus aliquod faciendum, vel ad subseruendum alterius operi. Quanquam enim ex Dei benedictione fit, vt semen prolificum sit, & vt hoc granum producat spicam & aristas: tamen semini sua vis propterea nō adimitur (quæ in eo hæc est, vt sui similem speciem ex satione producat) sed tum demum efficax esse ostenditur, quum Deus vult illam esse efficacem, ne à creaturis, non autem ab ipso

Deo



Deo pendeamus Creatore Psa. 4. v. 8. Item Dei beneficium est, quòd hic sol etiam nunc hodie lucet, neque tamen idèd soli ademptum est suum munus, aut denegatum, vt sit lucis & diei vehiculum, & administer: sed hoc tantum ostenditur in sole, in semine, in grano vires ipsas quas habent à Deo esse, non ab iis ipsis rebus, & eas à Deo in singulis eorù actionibus cieri & promoueri & viuificari, quoniam alioquin etiam in iis ipsis rebus illæ vires iacerèt mortuæ, & inutiles, nisi Deus eas excitaret, & efficares redderet, quoties agunt, quoties Deus illis, velut secundis causis, vtitur. Ex quo concluditur tantum virium & potentia & facultatis, etiam retenta Dei providentia, relinquicuique rei, quantum Deus ipse illi tribuit, concessit, & inesse voluit. Vnde neque herbis suæ vires, neque pharmacis suæ virtutes, & facultates, neque animalibus sui motus, neque hominibus etiam suæ mentis & suæ voluntatis actiones adimuntur, tanquã homines brutos, stipes, aut lapides, & merè *παθητὰ ὄργανα* (qualis est in manu artificis, malleus) faciamus: aut viua animalia velut mortua prorsus instrumenta (quæ tamen viua & actiua esse cognoscimus) esse fingamus: sed id tantum dicimus, quòd & hominibus, & brutis, & herbis, tanquam suæ providentiæ ac decreti instrumentis Deus vtitur. Nam ea omnia flectit, disponit, & ordinat, vt sibi seruiât. Ergo quoniam Deus hominem animatum fecit, & pecus gressibile, & homini & pecori etiam sua quædam actio relinquitur in gradiendo per quam proprio sibi atque in-

Cap. 33. ISAGOGES CHRISTIANAE

teriore motu cietur. In quo etiam ipso Dei virtus apparet, & operatur in illis. Denique nō sunt homines, dum iis Deus vitur, Instrumenta merè ac dūtaxat *mal d'usage*, qualis est malleus, vti dixi, sed ipsi habent in iis actionibus vsum suę & voluntatis, & rationis. Ex qua parte sunt & ipsi quoque causę suarum actionum, vti in Ethicis Christianis demonstrauius. Habent enim agendi principium & internum in sese, & voluntarium homines. Ex quo fit vt in huiusmodi actionibus & Deus agat, & homo quoque: sed diuerso modo & ratione, & sapè etiam diuersum scopum intuentes.

CAP. XXXIII.

*Qualis sit Dei PROVIDENTIA.*



Via valdè difficilis hic locus est, diligenter tractādus atque explicandus videtur. Ac qualis quidē sit Dei Prouidentia, videndum est. Est autem triplex qualitas siue natura eius spectāda. Prima hæc, Quòd Deus per Prouidentiam suam non tantum fines ipsos rerum ordinat, ad quos opus vel res vnaquæque tendit: sed etiam media ipsa omnia disponit, per quæ ad eum finem est perueniendum. Veluti Deus nō modò nos ali vult in hac vita: sed alimenta etiam dat, per quæ ali possumus. Item Deus nō tantum saluum esse suum populum Israel voluit, & redēptum è manu Pharaonis: sed & mare recedere voluit, & Pharaonem indurari, & retine-

retinere cum populum etiam post plures cō-  
 minationes. Bella quoque iusta non tantum  
 geri vult Deus, & victoriam contingere, sed  
 etiam omnia ea ordinat, per quæ victoria no-  
 bis contingit. Deus non modò nos sapientio-  
 res esse vult, sed etiam morbos & calamitates  
 immittit, per quas tales fiamus, vt nobis sint  
*πρόσφορα καὶ ἀνίσχυρα*. Deus non tantum sæpe, vt  
 nos conualescamus constituit: sed etiã ea phar-  
 maca peculiariter ordinavit, per quæ ex hoc  
 morbo feruari debemus & possumus. Atque  
 hæc vera sunt, vbi Deus per media agit. Sic  
 enim in vniuersum Deus

agit, vt sæpè	}	Sine mediis vllis	}	Cognita
		Per media & ea nobis, vel		Ignota ope- retur.

Itaque toti à Deo pendere debemus, vti dixi-  
 mus (eò enim tendit tota hæc disputatio de  
 Dei Prouidentia, nõ aliò) tum vt finem opti-  
 mum, tum vt media legitima consequamur, &  
 vtrumque precibus à Deo postulare: nullo au-  
 tem modo ab vllis mediis & creaturis pende-  
 re, quia Deo fit iniuria.

Secunda Prouidentie Dei conditio & qua-  
 litas est, Quòd rebus necessitatem ineuitabi-  
 lem illa quidem imponit, non tamen vim aut  
 coactionem. Nam quæ Dei Prouidentia fiunt,  
 eius voluntate & decreto ordinata sunt, ac pro-  
 inde necessariò eueniunt. Est enim immuta-  
 bilis Dei voluntas, quæ neque etiam vllò mo-  
 do impediri potest. Hęc necessitas tamen à vi  
 & coactione, vti iam monuimus, differt. Et si



Cap. 33. ISAGOGES CHRISTIANAE

enim quicquid nobis euenit, necessariò euenit, quoniam ex Prouidentia Dei fit, ab inuitis tamen & nolentibus nobis non fiunt, quæ facimus. Ergo etsi quicquid facimus, quatenus Dei Prouidentia id fieri decreuit, necessariò facimus: tamen non idcirco coacti & inuiti & nolentes ea facimus, quatenus eius actionis principia in nobis spectantur. Nam eæ sunt quoque nostræ actiones. Necessariò edimus & bibimus, non tamen inuiti: Item, necessariò hoc vel illud vitæ susceptæ genus sequimur, non inuiti, quia interno animi nostri motu ita optamus apud nos fieri. Etsi verò ea necessitas, quatenus à Dei prouidentia pendere atque constituta esse consideratur, est inuitabilis: quatenus tamen eadē hæc in nostra voluntate, tãquam in eo (quod internum habemus) agendi principio spectatur, spontanea actio est. Ex quo fit, vt illa Sophistarum distinctio tollenda sit, quæ solet ab iis afferri inter Dei permissionem, & decretum siue voluntatem. Quædam enim aiunt Dei tantùm permissione fieri, veluti vt Pharaò populum Israel tandiu etiam admonitus retineret, & induraretur. Exod. 7. v. 3. In quibus nulla est vel fuit euentus necessitas, sed in iis quicquid euenit, ex hominum mera voluntate & animi electione & proposito factum est. Quædam autem aiunt Dei voluntate siue decreto sic fieri, vt fiant inuitabili omnino necessitate, veluti vt Christus pateretur. Atqui respondeo, quum quicquid Dei permissione fiat, eodem volente fiat, sit eodem etiam decernente, quoniam omnis  
Dei

Dei voluntas in re quacunq̄ue & quocunq̄ue modo concepta est ordinatio & Dei decretum ineuitabile. Itaque permissio Dei à decreto Dei distingui non debet. Qua de re alii multa copiose, qui sunt consulendi, imprimis Calvinus & Beza. Denique effugi non potest hoc argumentum, Quicquid fit, aut Deo sciēte fit, aut ignorante. At ignorante Deo fieri nihil potest. Ergo sciēte. Iam verò si Deo sciēte fit, vel nolente vel volente fit. Nam ista permissio, quam constituunt mediam inter Voluntatem & Nolentem Dei, est decretum Dei. Propterea quòd si quid fiat sine Dei decreto, non erit Deus omnipotens. Verbum autem *sinendi* pro Decernere sumitur in Scriptura Act. 14. v. 6, 16. v. 7. Est autem ea necessitas ineuitabilis, quia Deus non mutat cōsiliū suū, 1. Sam. 15. v. 29. Præterea sic nos ceteraque omnia (quibus tāquam instrumentis voluntatis suæ exequendæ uti vult) Deus ducit, flectit, inclinat, impellitque motu occulto, & nobis ipsis sæpè etiam ignoto ac cæco, ut suam voluntatem & decretum etiam ignorātes impleamus: atque etiam quatenus scopus Dei spectatur in nobis, inuiti, ut Diabolus in affligendo Iobo Iob. 1. & 2. Nam nihil quicquam aliter euenire potest, quàm Deus decreuit, neque alio modo, neque alio tempore. Ergo patientes in Dei auxilio expectando & sperando esse debemus, Psal. 27. v. 14. non autem præcipientes, quasi aut Deum cogere possimus ante tempus à se præstitutum, aut alio modo facere, quàm quo semel fieri &

Cap. 33. ISAGOGES CHRISTIANAE

euenire decreuit, Gal. 4. v. 4: Quare hæc necessitas, quam Dei prouidentia affert, dicitur absoluta necessitas. Alia enim est naturæ necessitas, quæ necessitas *ἁπλῆ* dicitur, quæ flexi & immutari à Deo potest, veluti ferrum naturæ necessitate deorsum fertur, & tamen fecit Deus vt ferrum nataret in aquis, 2. Reg. 6. vers. 6. Itē aqua fluit naturæ necessitate quia est liquidū elementum, fecit tamen vt consisteret inftar muri, Exod. 14. vers. 22. Ergo naturæ necessitatem mutat Deus: Prouidentia necessitatem non mutat, quia cum eius voluntate & decreto particulari semper est coniuncta. Fit verò sæpè, vt hæc naturæ necessitas absolute necessitati cōtraria sit, *ἡ ἀπὸ θεοῦ*, vt vocant, veluti naturæ necessitate ossa Christi frangi poterant: at quia Deus decreuerat sua Prouidentia ne frangerentur, absoluta & Prouidentia necessitate frangi non poterant.

Quid ergo dicet quis? Nihilne huiusmodi est in rerum natura, & in tam vario & multiplici negotiorum humanorum euentu, de quo sic dici possit, *hoc sic, vel sic, euenire potuit*: vel de quo, quū sic acciderit, dici possit, aliter tamen euenire ista res potuit. Hæc autē futura cōtingētia, siue Contingētiæ vocāt, de quibus queritur, an ea Dei Prouidentia tollat, & hæc formā improbet loquendi, hoc factū, vel consiliū isto, vel illo modo euenire potest, vel potuit. Certè breuiter responderi debet, Quod ad Deum, & Dei Prouidentiam, nulla esse futura contingentia: Quod autem ad nos & nostram



vim ac scientiam, multa esse cōtingentia. Nam si ex voluntate Dei hæc quæ fiunt, quæque futura sunt, spectemus, & quatenus à Deo ordinantur, omnia necessaria sunt, certo vnoque modo euentura, non autem contingenter, nempe eo tantum modo, quo Deus ea fieri decreuit, & quo postea facta sunt. Sin autem & nos, & media consideremus, quia nos quale consilium Dei & decretum de hac re esset, ignorabamus: item quia ipsa media ad vtrumque euentum producendum suapte natura apta erant nata, dicimus & quidem rectè de multis (nostri tantum & mediorum ratione: non autem Dei ipsius respectu) hæc futura ita, vel ita euenire possunt, itemque poterant: non tantum eo modo, quo euenerunt. Itaque sunt futura contingenter. Veluti potest rota tam in dextram, quàm in sinistram partem volui, si per se & ex sua forma spectetur. Quare si causam istius motus, qui fit in sinistram, in rota ipsa solum consideremus, motus hic est contingens: quoniam ratione rotæ etiam in dextram partem volui potuit hæc rota, naturali motu & aptitudine: sin autem manum voluentis attendamus, qui vult mouere eam in sinistram duntaxat partem, non potest aliter tunc moueri rota, quàm in sinistram partem. Sic si quis in syluis à latronibus trucidatur, potuit de eo dici, non trucidabitur, quatenus non ex Dei prouidentia ista euentus metimur, sed in sola hominis & itineris ratione ista ponimus, id est, quatenus illius euentus, causæ sunt & homo, & iter.

Cap. 33. ISAGOGÈS CHRISTIANAR

Tertia denique conditio Dei Prouidentia est, Quod ab æterno omnia certo ordinauit Deus, non tunc primum, quum res existere cœperent, nil dubie & in incerto ut earum euentus aliunde penderet, quam ex ipsius Dei voluntate, quia nihil nouum suscipit Dei voluntas. Est enim ista noui consilii & noue qualitatis à Deo susceptio velut umbra mutationis, quam non admittit Deus, Iacob. 1. v. 17. Mat. 24. v. 34. I. Pet. 1. v. 20. Lomb. lib. 1. Sent. Dist. 38. Ex quo fit, ut multa nobis ignota per eam fiant, atque etiam per modos incognitos & incomprehensibiles. Nam mediis ordinariis non potest astringi Deus, neque Dei consilium alligari debet ad ea, quæ ordinariè fiunt. Præterea ante mundum conditum decretum fuit illud Dei consilium quod nunc euenit, adeo ut non possit subiici naturæ postea conditæ legibus. Atque huius doctrinæ ignoratio vel minus attendita cogitatio facit, ut in multis trepidemus, ubi tamen securissimi debebamus esse, quod etiam in optimos quosque non raro cadit. Nam si quando aliquid inopinatum accidit nobis, si mediis destituimur, pauitamus: neque cogitamus hoc quod fit hodie, ab æterno fuisse decretum fieri, & media liberationis nostræ ab æterno esse quoque à Deo præuisa. Etsi autem ab æterno & certo decreuit Deus ea, quæ fieri vult, tamen non omnia æterna permanens vno modo esse constituit. Quædam enim in perpetuum ita permanens ordinauit, ut Angelos bonos

bonos in cælo esse, malos autem in inferno,  
 Animas hominum immortales: quædã autem  
 ad tēpus tātum duratura cōstituit, quædã etiã  
 sub cōditione proponit. Quod valdē diligēter  
 est obseruādum, ne varia & mutabilis Dei vo-  
 luntas & prouidentia esse existimetur. Quæ-  
 runt enim quidam, quum de Dei Prouidentia  
 disputatur, cur terra Chanaã Iudæis ablata &  
 adempta fuerit, si certa est Dei Prouidentia,  
 minimèq; fallax? Hodie enim Iudæi eius ter-  
 ræ possessione exciderūt, quæ tamē olim illis  
 à Deo pro solo natali conituta fuerat, & pro  
 symbolo suæ erga eos beneuolentiæ, Gen. 17.  
 v. 8. & 48. v. 4. Respōdeo, quia temporale Dei  
 decretū erat hoc de terra Chanaan à Iudæis  
 possidenda, & quod ad Christi tātum aduētū  
 vsque duraturū erat, in ea autē finiendum. Nō  
 quod tamen post Christi aduentum Deus no-  
 num de integro consilium ceperit de Iudæis,  
 sed illud quod Iudæis postea cōtigit, etiam ab  
 æterno idem Deus decreuerat: sed demum suo  
 tempore, & post Christi incarnationem, &  
 quod illud esset patefecit. Idem est respōden-  
 dum his, qui quærūt, Quomodo hoc cum Dei  
 Prouidentia conueniat, quod Ezechix denun-  
 tiat Esaias cum esse moriturum, quum tamen  
 postea ille non moriatur, Isa. 48. v. 1. Resp.  
 Fuit apud Deum ab æterno cōstitutum, Quod  
 ægrotanti Ezechix fieret: sed Deus sub condi-  
 tione proposuit illi, quod ipse tamē certo de-  
 finiuerat euenturum, regis ad pœnitentiam  
 prouocandi causa. Ex quibus omnibus appa-  
 ret & æternam & certam siue inuariabilē esse



Cap. 34. ISAGOGES CHRISTIANAE

Dei Opt. Max. Prouidentiam. Denique illud etiam apparet, quædam à Deo certò decreta nobis nihilominus pro nostra salute (nimirum Deo sese ad nostrum attemperante captum) sub cõditione, vel ad tempus proponi. Vt autem certa est Dei Prouidentia: ita sapientissima, et si causa enëtus eiusmodi nos latet, qualis à Deo constitutus est.

C A P. XXXIIII.

*In quibus rebus versetur Dei  
P R O V I D E N T I A.*

**N**ON modò autem Vniuersalis statuitur à nobis Dei Prouidentia: sed etiã Particularis, quæ ad res quasque & singulas pertineat, etiam minimas: quicquid contrà disputet Aristoteles in lib. de Mũdo ad Alexãd. Augustinus enim Serm. 6. in Matth. præclare, *Videte, quia minima nostra non contempnit Deus. Nam si contempneret, nec crearet.* Siue igitur magnæ sint, siue parvæ creaturæ, ad eas pertinet & peruenit cura Dei: tanta est in omnes creaturas suas benigntate & bonitate, Heb. 4. v. 13. 2. Chronic. 16. v. 9. Ac de magnis quidẽ (quas Dei Prouidentia regit) sunt hæc exẽpla. *Homo ipse*, Psal. 8. Mat. 10. v. 10. Psal. 17. v. 5. *Calum* Psal. 19. Isa. 40. v. 12. *Nix*, *Grando*, & quæ alia metcora in cælo fiũt, Iob. 37. Psal. 148. v. 8. *Mare & Venti*, If. 40. Psal. 33. v. 7. *Regna*, Daniel 4. v. 22. De paruis itẽ exempla

empla sunt hæc, vt ad ea etiam Dei Prouidentiam pertinere intelligamus, *Passeres*, Mat. 6. v. 26. *Boues*, Deut. 15. v. 4. *Capilli*, Mat. 10. v. 10. reliqua vide Psal. 104. & Psal. 107. Præterea siue res prosperæ sint, siue aduersæ, cæ nobis tales ex Dei Prouidentia accidunt, *Amos*. 3. v. 6. *Ioan*. 9. v. 3. *Iacob*. 1. v. 17. Ad eò verò etiam in omnia est, & ad omnia & singula pertinet Dei Prouidentia, vt Diabulos etiam ipsos & impios sua imperia Deus exequi cogat etiam inuitos, quibus malis instrumentis ipse tamè bonus benè vtitur, vt rectè in *Enchiridio* tradit *Augustin*. Maximè autè vni *Ecclesiæ* & fidelibus utilis est hæc doctrina, de Prouidentia Dei. Nam & eam vniuersam, & nos singulos omnibus in rebus, omni tempore, & quocumque in statu consolatur, quum nos & esse & fore semper sub Dei Patris nostri aspectu & tutela certò sciamus: neque vereamur, aut metuamus quicquid mûdus in nos machinetur, *Psal*. 27. v. 3. *Psal*. 118. v. 6. & 10. *August*. *Serm*. 6. in *Matt*. *Non se subducit Deus, vt cadas, sed & de ipsis capillis nostris securitatem nobis dedit.*  
*Quid times hominem homo in sinu Dei positus?*  
*Iacta in Deum curam tuam*, *Psal*. 37.

Deniq; quicquid in vtrâq; vel vtrâuis partè acciderit nobis, id omne in salutè ceder, *Rô*. 8. v. 28. Imprimis autem hæc consolatio animo recurrere & obuersari debet rebus afflictis, & mûdi iudicio desperatis, vt in iis tamè illi Dei Prouident æ inhærentes fide, bene speremus, *Rô*. 4. v. 18. Certi nâque esse debemus, Primû, quicquid & quantumuis aduersum acciderit

Cap.34. ISAGOGES CHRISTIANÆ

nobis, illud tamen & salutare nobis, & ex Dei decreto euenire, nō fortuitò, nō ex improborum voluntate, aut mera ordinatione, Zach. 2. v. 5. Luc. 12. v. 7. Psal. 125. v. 2. Quare certò sciamus nos non esse furori & rabiei improborū hominū & diabolorū expositos, licet in maximas calamitates inciderimus, sed semper à Deo & corpus & animam nostram defendi & custodiri, Zach. 2. v. 8. Exemplū in Iobo. Iob. 1. Deinde speremus nos ex iis malis etiam liberatum iri in tempore opportuno, Psal. 32. vel melioris vitæ adeptione, & morte hac corporis: vel etiam quòd è mediis hostium faucibus eripiemur à Deo. Isa. 54. v. 45. Tertiū cogitemus, hostes nostros tandem euersum atq; perditū iri, neque regnatos diutius, Isa. 54. v. 17. Zach. 1. v. 21. Quod autem quidā querunt, Cur non statim punit Deus sceleratos. Respōsio ex Hierony. in Epistola ad Rom. quia si sic fieret à Deo, nullus hominum penè remaneret, nec vnquam de iniustis fierent vlli iusti, Rom. 2. v. 3. 4. 2. Pet. 3. v. 6. 7.

C A P. XXXV.

*De hac Questione, Vtrūm Dei PROVIDENTIA curam omnem nostram sollicitudinēque sopiat & tollat, itēque prudentiam & deliberationem nostram in agendo.*

Cæterū





Æterum, vt finem faciamus, tres  
 quæstiones solent in hûc locû affer  
 ri. Prima, vtrûm igitur aliquid sit  
 in nostra potestate, de qua in Lo  
 co de Libero arbitrio agetur à nobis. Secunda,  
 vtrû etiã Deus sit autor mali & peccati, quod  
 fit à nobis, quod soluetur in Loco de Prædesti  
 natione. Tertia huius loci propria est, & est  
 hæc, Vtrum hæc doctrina de Dei Prouidentia  
 inertes nos & negligentes faciat, omnémque  
 nostram de medijs ordinarijs adhibēdis, quæ  
 rendis, & comparandis sollicitudinem tollat,  
 quum non tantûm fines rerum, sed etiam me  
 dia (per quæ ad fines peruenitur) à Dei Proui  
 dentia ordinentur, atque etiam regantur. Hoc  
 enim si verû est, neque erit patrifamilias ha  
 benda cura de familia sua alenda, cōtrà quàm  
 tamē monet Paulus, 1. Tim. 5. v. 8. neque ægro  
 to medicus adhibendus, vel potio pharmaci  
 sumenda, vt sanetur, atque ita Dei potentia &  
 sapientia in rebus creatis spernetur, quæ tamē  
 hæc omnia creauit ad nostrum vsum, dū Pro  
 uidentia inducitur. Sed respondeo, Deum nō  
 frustra & vires herbis, & industriam artésque  
 hominibus dedisse, & prudentiam & sagacita  
 tem, per quam sibi cauerēt, & ea, quæ sibi suis  
 que utilia aut necessaria sunt, compararent. I  
 taque Dei Prouidentia media ipsa constituit,  
 eaque proinde à nobis comparari debent, per  
 quæ aliquid efficiendum est, quæ qui spernit,  
 aut negligit, quantum quidem in se est, pro  
 curare, ille proculdubio Deum ipsum tentat,  
 & Dei Prouidentiam, quæ illa constituit, a

Cap. 35. ISAGOGES CHRISTIANAE

spernatur. Nostra enim tantum causa Deus (qui  
 omnia per se & sine mediis facere potest) me-  
 dia quaedam ordinaria constituit, quibus uteremur  
 ad ea assequenda, quae optamus, ut in  
 iis & per ea facilius Deum nobis auxiliantem  
 animaduertemus. Nam carnales sumus, &  
 rebus visibilibus egemus, ut fides nostra in  
 Dei promissionibus melius confirmetur & ac-  
 quiescat. Aliud est vero quum sine mediis  
 ordinariis preparatis aut obiectis expectare ta-  
 men & sperare iubemur, & illud est sperare in  
 spe contra spe, Ro. 4. v. 18. 1. Cor. 10. v. 13. Veluti  
 qui victoriam sine milite, sine armis, sine aliis  
 victoriae obtinenda mediis sperare iubetur, ma-  
 gna illa & peculiaris fidei probatio extat, quod  
 media coram non videt, ut in Gedeone. At qui pa-  
 ne & vino oblato sperat se ali ex iis a Deo pos-  
 se, non ita laborat, etsi non sine fide illa media  
 adhibet. Ergo magnum humanae imbecillita-  
 tis solatium est, magnaque consolatio ordina-  
 riis mediis non destitui, vel secundis causis, in  
 quibus si quid inest vitii, nepe ut iis fidamus,  
 eius vitii culpa non est in Deo, sed in nostra  
 vitiositate, qui Dei donis ad ipsius contume-  
 liam abutimur. Itaque media honesta sper-  
 nenda non sunt, sed legitimo modo quaren-  
 da sunt, quia rerum & euentorum, quae a Dei  
 providentia ordinata, decretaque sunt fieri,  
 pars sunt & instrumenta. Exempli gratia: vult  
 nos sanari Deus, sed vult id fieri medico adhi-  
 bito, sumpta quoque portione. Itaque utrum-  
 que est necessarium, & providentiae Dei pars  
 & decretum. Item vult nos Deus ex hoc peri-  
 culo

culo eripi, sed se inuocato, amicis interpositis, huius rei vel illius amissione, vt Paulus per nauas eripitur ex naufragio Actor. 27. Hæc igitur omnia sunt facienda, si liberari volumus. Vnde tam est necessarium & medicum adhibere, & potionem sumere, & Deum orare, & cætera media procurare, quàm est necessarium nos conualescere, & finem destinatum consequi. Vnde & hominibus sua deliberatio, prudentia, & cura & sollicitudo in suis actionibus relinquitur etiam stabilita Dei Prouidentia, neque inertes propterea & segnes esse & viuere debemus, quasi è nubibus pendent: sed quantum legitime & per Dei verbum possumus, media omnia honesta comparare.

Cæterum ex hac ipsa doctrina duplex utilitas nascitur. Prima, à Deo postulandum esse vt det nobis in omnibus & singulis operibus nostris spectare finem rectum & sanctum: & vt media quoque legitima & honesta ipse donet, & subministret, per quæ finem propositum assequamur, & fungamur officio nostro in omnibus, quia solus & fines rerum, & ipsa media regit, quæ sunt nobis necessaria, quantumuis prudetes simus, & de his deliberemus.

Secundum, vt neque mediis ipsis, quum aderunt, confidamus: sed Deo soli: neque diffidamus, si aberunt, quia ipse omnia vnus potest. I. Tim. 6. v. 17. Nam vtcunque diligente cura optima quæque media nobis parata sint, tamen nihil efficient, aut proderunt nisi à Deo regantur, vtilia fiant & benedicantur, Psal. 127. Rom. 11. v. 36. Denique si quis reliquas de Dei



Cap. 36. ISAGOGES CHRISTIANAE  
Omnipotentia quæstiones quærat, legat Serm.  
192. August. de Tempore.

C A P. XXXVI.

De DEO FILIO siue IESV CHRIS-  
TO: ac primùm Filium Dei, qui &  
Christus est, varijs modis  
considerari.



Vgust. Serm. 40. de Tēpore ait tri-  
bus modis Chri-  
stum cognosci, 

}	Deū,	}	diuin
	Homi-		atē:
	nem,		

  
Deum & Ho-  
minem coniunctim, qua ratione est caput Ec-  
clesiæ. Nos igitur à primo loco ordiamur.  
Damasceus li. i. duobus tantùm modis Chri-  
stum cognosci ait, nempe κατ' ὀικονομίαν, καὶ κατ'  
τὴν θεολογίαν: sed idem est. Etsi verò qui Filium  
videt, videt & Patrem, Ioan. 14. v. 9. tamen est  
Filii persona distincta à persona Patris, contrà  
quàm Sabellius Afer exissimauit, qui vnam &  
eandem esse Patris & Filii personam impiè di-  
xit: neque tractatus de Deo Patre reddit inu-  
tilem & superuacaneum eum, qui est de Filio.  
Neque verò Filii vox subiectionem hoc loco  
significat, vel temporis posterioritatem con-  
cludit, vel minorem dignitatem naturæ: sed  
diuersam tantùm inter ipsas personas relatio-  
nem & rationem, inter quas tamen est par di-  
gnitas & authoritas, æqualis potestas & maie-  
stas, eadem essentia & æternitas. Est certè præ-  
clara

clara hæc Cyrilli lib. I. cap. 6. Thefauri sententia, *Patris nomen à Christo, uti dignissimum, de Pare usurpat, Nam Patris nomen ad Filium illum v. s. un, Dei verò etiam ad creaturas refertur,* ait ille. Neque verò dicitur Dei Filius, quia conceptus est ex Spiritu Sancto, qui Deus est, sed dicitur Patris Filius, cuius distincta est persona à Spiritu Sancto. Ex Patre enim solo genitus est Filius ab æterno, Deus de Deo, ut veteres locuti sunt, lumen de lumine. Nam Spiritus Sanctus non fuit Verbi Pater. Ergo amborum, id est, Patris & Spiritus Sancti, non dicitur Filius, Aug. Serm. II. in Matth. Sed neque dicitur Spiritus Sanctus corporis Christi genitor: sed tantum corporis eius (quod Verbum siue Filius Deus assumpsit) conditor & in Maria virgine sanctificator. Ergo quanquã Christus dicitur Filius Mariæ, tamen non dicitur Filius Spiritus Sancti, ne sint aut existimentur esse in sancta Trinitate duo Patres. Modus autem ille, per quem Deus Pater ab æterno Deum Filium genuit, dici & exprimi verbis non potest: sed ne comprehendi quidem & animo cogitari. Enumerat quidem Socrates Scholasticus lib. I. cap. 8. suæ historiæ tres modos, per quos fit aliquid ex aliquo, & illi *ὁμοίσιον* dicitur, qui sunt hi:

Vnus est *μετεστώδης*, id est, partitio, ut quã aliquid in plures partes dissecatur, sic ex vna & eadem carne fiunt plures carnes, id est, frustra plura *ὁμοίσιον* & similis naturæ.

Secundus *σποροειδής*, id est, propago, ut quum è trunco rami sparguntur & diffunduntur, sic in

Cap. 36. ISAGOGES CHRISTIANAE

manu digiti sunt ὁμοίωσις, sic in vite plures palmites, & in arbore rami.

Tertius modus est ῥεῦσις, id est, fluxus, ut quum ex vno aliquid fluit & secernitur, ex quo fit aliud: sic ex semine patris hominis fit filius homo, & pater & filius sunt ὁμοίωσις.

Πλατύνωσις autē, id est, extensio, quartus quidā modus est qui ab Her. Sozō. adiicitur li. 4. cap. 6. ut quum eadem materia longius dilatatur, sic cera calefacta dilatata est ὁμοίωσις. Sic omnia liquida aut liquefcentia possunt multiplicari. Secundum autem nullum ex his quatuor modis Filius Deus à Patre Deo fit, vel genitus est, quia totam suam substantiam Pater in Filium suum, non sese tamen ea priuans, transfudit, estque planè is generandi modus nobis omnique creaturæ, etiam Angelis ipsis, ignotus & incomprehensibilis. Nec tamen Deus Pater est Pater essentiator, & deificator Filii, & Spiritus Sancti. Præter hos autem omnes modos enumerat Epipha. plures alios in opere, quod dicitur *Ancyrotum*, quos tu vide, & lege. Cæterum quum Pater Filium genuit, non Essentia Essentiam, sed Personā Personā genuit, ut rectè docēt veteres, Lomb. lib. 1. Distinct. 5. Nec enim hæc generaliter multiplicat essentias, sed tantum personas diuinas, ne πολυθεΐαν inducamus, quod G. Genebrardus homo impius vnà cū fraterculo suo Francisco Iordano nuper fecit.



## CAP. XXXVII.

*De hac voce, VERBUM vel SERMO.*

**H**ic idem Deus Filius multis aliis nominibus appellatur. Nā etiam dicitur Genitus, uti Pater Ingenitus. Quæ voces duæ non diuersas Essentias, ut Eunomiani volunt, significant: sed diuersum tantum modum, quo eadem essentia est in Patre, & Filio. Dicitur etiam Sapientia Patris Prou. 8. Dicitur quoque Verbum vel Sermo à Latinis, à Græcis autem λόγος. Ioan. 1. vers. 1. Dicitur Deus Redemptor, quòd tota redemptionis nostræ materia in eo quærenda sit, 1. Cor. 1. v. 30. Luc. 24. v. 21. Itaque proximum est, postquam de Deo Creatore diximus, agere de Deo Redēptore, id est, de Christo. Dicitur & Iesus Christus. Reliquæ autem eius varix appellationes passim sunt ex Scripturis sacris obseruandæ, quales multæ sunt apud Isa. 9. v. 6. cap. 7. v. 14. uti dicitur agnus Dei Ioan. 1. v. 2. Item Apoc. 22. v. 16. & 13. aliæ multæ, ac toto eo libro sparsæ. Quod verò ad præsentem tractatum sufficere videtur (nam cæteras studiosus vel per se, vel ope docti alicuius commentarii facillè intelliget, hîc explicabimus, Quid hæc vox Verbum significet. Ac primum siue Verbum, siue Sermonem vertamus, quod Græci λόγος appellant, sic dicitur, quatenus in Patre est: at verò Filius, quatenus ex Patre esse dicitur, ut vult Cyrill. lib. 1. Thesauri. Quum igitur Deus Filius λόγος appellatur, non intel-

Cap.37. ISAGOGES CHRISTIANAE

ligimus eum esse sonum aëris percussi, qui ex ore Patris efflatus sit, & exierit, euaueritque. Neque enim Deus Pater os habet, neque labia, neque dentes, neque aspirat, neque etiam respirat, sine quibus tamen omnibus hic sonus euanescens & λόγος ἀσαρκός, *verbum sonabile*, ut ait Augustin. fieri non potest, qualem esse Christum Arriani & Seruetistæ fingunt. Itaque Christum tum primùm è Patre natum putant, quum Deus dicitur loquutus esse, ut in mundi creatione factum est. Gen.1. vers.3. non putant autem ab æterno genitum Filium de Deo Patre. Primùm quidem fateor manifestatus est Dei Filius, qui in sinu Patris æternus latebat, quum mundus creatus est, non autem tunc primùm nasci & esse cœpit. Neque etiam tum primùm cœpit Verbum esse, & Persona, quum in Mariæ virginis utero caro factus est: sed antè erat Persona & Verbū. Sed hoc Verbum accepit naturam hominis in Maria, quū naturaliter Verbū hoc nō esset, quod caro est. In principio enim erat Verbum, & apud Deū, & ipse Deus, & Persona erat Ioh.1. v. 1. etiam antequam in utero Mariæ esset, & in eo carnem assumpsisset. Quidam autem Dei Filium vocari Sermonem putāt, quòd omnia Dei elogia & promissiones in summa ad vnum Christum redeunt, & sunt in eo fundatæ. Nam omnium promissionum etiam & amen, ut ait Paulus. 2. Cor.1.v.20. est Christus. Quamobrem omnes sancti Patriarchæ & Prophetæ per eius Spiritum inspirati de eo locuti sunt. Unde Verbum dicitur Christus, quòd sit & auctor,

tor, & scopus totius Sacrae Scripturae, salutarisque sermonis. Alii sentiunt Dei Filium dici Sermonem, quod uti mens nostra rei à se intellectae imaginem in se concipit primum, post autem conceptam à se imaginem in sermone ore prolato pingit: sic Deus sui ipsius imaginem edidit in sese, quae Filius est. Itaque metaphoram seu potius metalepsin in ea voce inesse putant. Sic Basil. in Homil. De principio Evangelii Iohannis. Ergo volunt Dei Filium dici Verbum, quoniam est substantia ineffabilis à Deo Patre procedens, & eius sapientia ab eo ineffabiliter genita. Denique esse Verbum seu λόγον διαθετικόν, non autem προφορικόν, ut Patres Graeci loquuntur, verbum manens, non autem verbum sonabile & evanesens. Basil. contra Eunom. lib. 2. Cyrill. lib. 1. Thesauri. Et ita haec vox non tam metaphoram, quam quoddam μυστήριον & arcanum significabit, non autem sonum, aut qualitatem transcendentem in Deo, ut voluit impius ille Seruetus: sed Deum operantem & ὑφαισήμενον, quia loqui Deo est facere & exequi. Caeterum λόγου significatio varia est apud Graecos, & equivoca, & aliter verti potest, quam Sermo aut Verbum. Cur porro Christus dicatur λόγος, ex Actor. 26. v. 22. puto colligendum esse, nimirum quod sit ille ipse, de quo Prophetarum omnes sunt locuti.

## CAP. XXXVIII.

De his vocibus, IESVS CHRISTVS.





IC autem Dei Filius postquam est  
 incarnatus & Iesus & Christus no-  
 minatus est. Dei enim Filii nomē,  
 quā Deus, nullum est aliud, nisi Fi-  
 lius: sicuti nec Patris Dei nomē aliud est pro-  
 prium, quā Pater. Quanquam hoc potest fe-  
 rē in lectione sacræ Scripturæ obseruari, quōd  
 quum Dei Filius λέγος, id est, vel Verbum vel  
 Sermo appellatur, solius diuinitatis illius desi-  
 gnandæ causā & equalis cum Patre potesta-  
 tis, & æternitatis paris significandæ gratia sic  
 nominatur. Quum autem *Iesus* & *Christus* di-  
 citur, etiam humanitatis ab eo susceptæ, tacita  
 significatio inest, quia Dei Filius neque Iesus  
 neque Christus noster esse potuit, nisi Deus  
 Homo fieret. Duo autem hæc nomina sic ve-  
 teres Ecclesiastici Scriptores distinguūt (quā-  
 quam minus solidē) vt quāquam vnā & ean-  
 dem personam designent (vti totum hoc, M.  
 Tullius Cicero, est propriū vnus viri nomen)  
 tamē nomen *Iesus* dicant esse naturæ nomen:  
 nomen autem Christi officii eius. Iesus enim  
 est appellatus ab Angelo tanquam proprio  
 nomine, vt tamen eum esse Angelus ostende-  
 ret, qui populi sui Seruator esset quod ad offi-  
 ciū Christi pertinet, Matth. 1. v. 21. Ergo quem-  
 admodum hoc illi nomē Deus dedit, *Iesus*, sic  
 verē fuit Iesus. Ies<sup>o</sup> Hebræis dicitur ישוע, vt est  
 Actor. 7. v. 45. Quam vocem si quis Græcè red-  
 dere velit, significat idem quod vox hæc σωτηρία  
 Græcis, Matth. 1. v. 21. Ratio est, Quod non est  
 in alio quoquam σωτηρία, id est, salus. Actor.  
 4. v. 12. Σωτηρος autem vim & significationem  
 nulla

nulla voce sua & propria Latini, vt ait Cicero, exprimere possunt. Est enim plus quàm Seruator, & plus quàm Saluator. Itaque vis beneficii in nos à Christo collati, neque exprimi verbis, neque animo satis cogitari potest. Christus autem dicitur Græco vocabulo *Χριστός*, Latinis Vnctus, Hebræis *מָשִׁיחַ* Messias & Vnctus. In quo vno verbo tria eius officia continentur, vti vnctio ad tria hominum genera pertinebat.

Vnctus enim est Christus, vt esset suæ Ecclesiæ, & verus

}	1. Rex. Psalmo. 110. v. 1. 2.
	Heb. 5. v. 6.
	2. Sacerdos Psal. 110. v. 4.
	Hebr. 10.
	3. Propheta: & nos quo-

que tales etiam faceret suarum gratiarum communicatione & donatione. Isa. 42. v. 1. 61. v. 1. Luc. 4. v. 18. Apoc. 1. v. 6.

## C A P. XXXIX.

*Non alium in veteri Testamento, alium in nouo & Euangelio Christum esse.*



Ntequam de Christi diuinitate & humanitate in natura Dei & natura hominis in Christo vnita disputemus, faciamus idē quod veteres scriptores, ne operā ac oleū perdere videamur, nepe vt probemus non aliū in veteri Testamento, aliū autē in nouo & Euangelio Christū esse, sed vnum planē & eundem. Quæ res etsi potestā adhuc latius tractabitur, hoc tamen loco

Cap. 39. ISAGOGES CHRISTIANAE

non dicitur importunè, vt quæ de Christi vel humanitate, vel diuinitate ex veteri, & nouo Testamento afferemus, ad eundem & vnum Christum pertinere intelligantur, atque ita omnes sciant nos nihil cōfundere, neque fallere, neque falli, neque ad vnum Christum referre, quasi dicantur de diuersis. Neque verò necessaria futura erat hæc disputatio, nisi primus Cerdo hæreticus, post autem Marcion cum secutus duos Christos finxissent, & falsò induxissent, vt scribit Euseb. Historiæ suæ lib. 4. variis capitibus, veluti 10. 11. 22. 27. Duobus autem argumentis aduersus eos vtemur, è quibus

Vnum ductum ab autoritate Pauli Gal. 3. v. 16. Gen. 22. v. 18. Benedictio enim omnibus gentibus promittitur, non in seminibus, sed in vno semine. Est autem illud Iesus Christus Actor. 3. v. 25, & 26. Vnde aliud gratiæ Dei fundamentum & Ecclesiæ poni non potest, cit idem Paulus, quàm Iesus Christus, idem ille, qui & à Prophetis & ab Apostolis positus est. Eph. 2. v. 26. 1. Cor. 3. vers. 11. Hoc ipsum confirmatur Matth. 23. vers. 23. vbi negatur plures esse Christos.

Alterum argumentum est, quòd quæ de Christo venturo à Prophetis in V. T. prædicta erant, in hoc vno, qui nobis per Euangelium annuntiatur ac manifestatur, & passus est sub Pontio Pilato, impleta sunt omnia, Luc. 24. v. 27. Cuius argumenti quia explicatio longior foret, satis erit exempli causâ quædam tantum attulisse,



De Christo futuro prædictum erat sic in veteri Testamento:

- |   |  |
|---|--|
| 1 Nascetur in Bethleem, Mich. 5. v. 2.                        | 2 Nascetur de virgine, Isa. 7. v. 14.  |
| 3 Nascetur de femine David, Isa. 11. v. 1.                    | 4 Nascetur cessante Iudaicæ gentis imperio & adæpto de scemore Iuda, Gen. 49. v. 10. |
| 5 Nascetur ad imperium in Ecclesiam obtinendam, Isa. 9. v. 6. |  |

Christus, qui in Euâgelio nobis est annuntiatuſ,

- |  |  |
|--|--|
| 1 Natus est in Bethleem, Matth. 2. v. 1.                 | 2 Natus est de Maria virgine, Mat. 1. v. 19.   |
| 3 Nat <sup>o</sup> de femine David, Rō. 1. v. 3. Mat. 1. | 4 Natus imperante orbi Augusto, & regnante in Iudæa Herode alienigena. Luc. 2. v. 1. Mat. 2. v. 3. |

5 Natus est vt regnum in domo David obtineret, Luc. 1. v. 32. Vnde hic Christus esse dicitur, de quo & Moses, & Prophetæ loquuti sūt. Ioan. 1. v. 45. Quare ipse Christus ait, *Scrutamini Scripturas, & illa testimonium de me perhibent.* Ioan. 5. v. 38. & 21. v. 31. & ad eas nos etiam ipsi Euangelistæ solent reuocare. Idem de morte & sepultura & resurrectione Christi dicendū est, quia, vt ait Paulus, secundum Scripturas & mortuus & sepultus est Christus, 1. Cor. 15. v. 3. & 4. Atque harum rerum obseruatio & collatio non minima est fidei nostræ confirmatio, ne, vt Iudæi, aliam adhuc expectemus futurū Redemptorem nostrum, aut, ne, vt insani homines, si quis dixerit, *hic est Christus, aut illic,*

Cap.39. ISAGOGES CHRISTIANAE

huc aut illuc curramus. Est enim hic certus & verus & solus Christus redemptor noster & saluator amplectendus, qui sub Pontio Pilato passus est, & in Euangelio nobis annuntiatur, Matth. 24. v. 23. Ioan. 20. v. 31. I. Timoth. 6. Si quis autem plura in hanc locum requirat, legat veteres & antiquissimos quosque Scriptores Ecclesiasticos, Tertullianum inter Latinos lib. 3. in Marcionem, & Iustinum, qui Martyr dicitur, inter Græcos, in Dialogo contra Tryphonem.

C A P. XL.

*De iis, qui in Natura vel Persona Christi intelligenda errarunt.*



T autem melius Christi Naturam intelligamus, videamus, qui in ea errarint, & quam variè, vt postea, quis & qualis sit Christus verissimè explicetur. Ac errarunt

- 1 Ebionitæ, qui Christum per hominem & ex coitu hominis natum dixerunt.
- 2 Marcionitæ, Origenistæ, & Docetæ, qui dixerunt Christum de cælo corpus secum attulisse, non autem sumpsisse de Maria Virgine. Ac proinde non verè passum, sed videri duntaxat passum.
- 3 Valentiniânî, qui dixerunt corpus Christi fuisse phantasticum, id est sine carne.
- 4 Eunomiani, qui Christum aiunt corpus & carnem absque anima habuisse

5 Apollinaristæ, qui animam in Christo non item rationem fuisse dicunt: Naturam siquidē Christi diuinam pro ratione in eo fuisse.

6 Eutychiani, qui hominem in Deum naturę versibilitate transiisse dicunt.

7 Aetiani, qui Christū Deo Patri dissimilem natura aiunt.

8 Arriani, qui Christum negant æternū Dei æterni Filium.

9 Samosatēniani, qui Christum fuisse purē hominem aiunt.

Denique infinitus eorum hæreticorum numerus est, qui in Christi natura intelligenda lapsi sunt, quorum omnium sententiæ ad hæc tria capita in summa possunt reduci, quod vel circa Christi deitatem illi errarunt, vel circa humanitatem, vel circa vtriusque naturæ hypostaticam vnionem, & tamen naturarum earundem in illa hypostasi distinctionē. Itaque de tribus his ordine agendum est.

## C A P. XLI.

## DE CHRISTI DEITATE.



Christus etsi sæpe Patribus Angeli specie apparuit, tamen longè aliud est, & natura & dignitate ab Angelis. Mosi quidem Christus apparuit Angeli figura in rubo. Act. 7. v. 30. Exod. 3. v. 2. Item Iosua consolatus est Christus Angeli specie. Iosue 5. v. 13. Item Gedeonē eadem forma ad populi Israelitici liberationem.



Cap. 41. ISAGOGES CHRISTIANAE

nem excitauit. Iud. 16. v. 11. Zac. 2. & 3. Angeli specie apparet Prophetæ Zachariæ Christus. Neque tamen idcirco concludi debet Christum Angelicæ naturæ tantum esse, non autē diuinę. Quod enim Patribus Angeli specie se se demonstrabat, illud futuræ pro nostra salute incarnationis præludium quoddam fuit. Tribus autem his rationibus & natura & dignitate & potestate Dei Filium Iesum Christum maiorem Angelis esse, atque ab iis differre Scriptura docet.

Prima, quod hic Dei Filius Angelos creasse dicitur Psal. 104. v. 4. Col. 1. v. 16. Non modò autem maior est dignitate creator creatura, sed toto ipso genere ab ea distat.

Secunda ratio est, quod Angeli ipsi Dei Filio ministrare velut serui dicuntur, itè que eum vt Deum suum adorare, Heb. 1. v. 14. & 6. Psal. 96. v. 9. cuius rei exemplum est, quò & in deserto, & in monte oliuarum Angeli Christo ministrarunt ac seruiuerunt. Matt. 4. v. 11. Luc. 22. v. 43. & Zach. 1. & 2. vt ministri coram eo stare dicuntur, ad eius iussa & excipièda & exequenda.

Tertia ratio est, quod nullus Angelorum *Iehoua* nomine propriè appellatur, præter vnũ hunc Christum Dei Filium, etiam quum Angelus apparet, Zach. 1. v. 11. & 13. Itaque & primogenitus dicitur, & sedere vnà cù Deo Patre Psal. 110. v. 1. Psal. 45. v. 8. & sibi sacrificari patitur Iudic. 13. v. 20. & se adorari, quod tamen cæteri Angeli nequaquam patiuntur. Apoc. 19. v. 10. Item dicitur habere nomen  
supra

supra omne nomē, etiam supra Angelos ipsos,  
 quodque ipsi Angeli venerantur, & adorant.  
 Phil. 2. v. 9. Cæterum quod dicitur Christus I-  
 mago Patris Col. 1. v. 15. & Character hyposta-  
 seos ipsius Hebr. 1. v. 3. non facit ut sit Christus  
 Dei Filius eiusdem tantum nobiscum naturæ  
 qui & homines sumus, & imago etiam Dei, &  
 ad Dei imaginem formati dicimur. Genes. 1. v.  
 27. 1. Corin. 11. 7. Veteres quidam in hoc no-  
 do soluendo aliquandiu estuarunt. Primùm e-  
 nim sic soluebant, nempe Christum dici Pa-  
 tris Imaginem & hypostaseos eius Characte-  
 rem, non autem dici simpliciter Dei Imagi-  
 nem, quales nos esse dicimur, Dei Imago ni-  
 mirum, non autem Personæ Patris Imago.  
 Quorum sententia à Paulo refutatur, qui Chri-  
 stum Dei Imaginem purè & nudè (non adie-  
 cto nomine Patris) appellat, 2. Cor. 4. v. 4. Alii  
 igitur aliter solvunt. Putant enim argumento  
 cap. 2. Phil. v. 7. alio modo dici Christum Dei  
 imaginem esse alio autem modo nos esse Dei  
 imaginem. Christum enim esse *εἰκὼν θεῶν*, nos au-  
 tem *μορφὴν* tantum & *ὁμοίωσιν*. Sed illi religio-  
 sus verbis inhærent, quia & nos quoque *εἰκὼν*  
 Dei sumus. Ergo verum est alio modo aliâque  
 ratione ac dignitate Christum Dei imaginem  
 dici, alia verò nos. Etsi enim fatemur Christum  
 dici imaginem Dei, quatenus etiam est Deus  
 in carne manifestatus, ac homo factus: tamen  
 nullo modo eadem ratione Dei Imago quis-  
 quam alius potest & dici & esse. Non modò  
 enim gradu ab eo differimus, sed toto ordine.  
 Vnde ille est singularis in eo, nec alium sibi pa-

Cap. 41. ISAGOGES CHRISTIANÆ

rem habet, aut similem admittit in ea imagine. Primum, quoniã omnino homo ille Christus absq; peccato fuit. Deinde Dei viui virtutes in eo homine vno Christo insunt, & inerãt expressæ. Ergo vera solutio est hæc, Christum dici Dei Imaginẽ, Coloss. 1. & Heb. 1. quã Deus est in carne manifestatus, & à nobis visus, id est, quatenus in eo, ipsius vita operibus, doctrina, miraculis, & persona Dei immensa misericordia, iustitia, bonitas & potentia ad viuum expressa nobis est & fuit, ac in verbo quoque & doctrina ipsius descripta etiam non hodie durat ad salutem nostram. Quauis hoc totũ ita se habeat & inde sit, nempe quòd Christus est Filius ille æternus æterni Patris, antequam carnem assumeret. Cum igitur de Christi Deitate agimus, per eam Christus sic est Dei imago, vt & Deus ipse sit: Patris splendor, vt & Patri ipsi æqualis, creans Angelos & homines, & omnia quæ sunt, atque omnia sustinens potẽti verbo suo. Vnde illud quoque est obseruãdum, quum Christus Deus dicitur, alia planè significatione Deũ appellari, quã quũ Angeli, vel homines Dii appellantur Ioã. 10. v. 34. Christus enim dicitur Deus natura: homines autem & Angeli participatione tantum cuiusdam scintillæ Maiestatis Dei, velut Magstratus. Ille non prædestinatione fuit apud Patrem gloriosus, sed potestatis æqualitate. Hi verò prædestinatione & donatione accidentaria. Itaq; dicitur in solo Christo Deitatis plenitudo habitasse corporaliter, id est, personaliter. Col. 2. v. 9. Deinde quod ad locũ, 1. Cor.



II. 7. attinet, illic consideratur vir vt excellentior muliere, ac proinde quasi ad Dei gloriam propius accedens: ac non quod & mulier ad imaginem Dei perinde condita non sit, etiam si præ muliere vir per excellentiam imago & gloria Dei appelletur.

Quatuor autem ferè rationes & argumentorum loci ex Sacra Scriptura colligi possunt, per quos Christum Dei Filium verè ac natura Deum esse probatur.

Ac primus quidem locus est Sacre Scripturæ vox & autoritas. Deum enim appellat: & quidem è veteri Testamento infiniti penè loci colligi possunt. hi tamen sufficient pauci.

Primus est Psal. 45. v. 7. & 12.

Secundus Isa. 9. v. 6. 43. v. 11.

Tertius est Hier. 23. v. 6.

Quartus est Malach. 3. v. 1. & 2.

È nouo verò Testamento duobus modis colligi potest Christum esse verum Deum. Primum ex iis Epithetis, quæ illi tribuuntur, vt quū appellatur Dominus, atque adeò Dominus dominantium. Ioan. 13. v. 13. Apocal. 17. 14. Neque Paulus quum Patrem Deum appellat, Christum autem, Dominum, I. Cor. 8. v. 6. Christum Deum esse negat, sed personarum tantum proprietates secernit in Trinitate. Neque enim Pater quoque ideò Dominus esse negatur, quòd dicitur Deus. Sed vti vnus est Deus: ita est vnus Dominus, & cui Domini nomen conuenit, eidem Dei appellatio. Eph. 4. v. 4. 5. & contra competit, & quidem proprie. Item Christus Deus dicitur ipse suo pro-

Cap. 41. ISAGOGE CHRISTIANAE

priorque titulo. Rom. 9. v. 5. Ioan. 20. v. 28. Dicitur spes nostra. I. Tim. 1. v. 1. Col. 1. v. 28. Ergo Deus. I. Pe. 1. v. 21. Dicitur Iustitia nostra. I. Co. 1. v. 30. Dicitur Saluator noster Phi. 3. v. 10. quo eodem nomine Deus Pater alibi ab eodē Paulo appellatur, I. Tim. 1. v. 1. Dicitur Dei Sapiētia Christus. In Deo autem sapientia essentialē quiddam est. Ergo eiusdem naturæ est, quæ Deus. Matth. 11. v. 20. I. Cor. 1. v. 24. Alia epitheta obseruabit atque sibi annotabit diligens lector. Alio etiam modo è nouo Testamento probari potest Christum Deum esse, nempe quod quæ Deo alibi tribuuntur, Apostoli & Euangelistæ Christo applicant. Quod genus item argumenti varium est, & multiplex, ac sit exemplo locus iste, qui est apud Paulū Rom. 10. v. 13. ubi ad Christum refert, quod à Ioele de Deo simpliciter dictum est, Ioel. 2. v. 32. Cuius argumēti aliud exemplū est Matth. 22. ver. 43. & quod est Psal. 110. v. 1. Item in Epist. Heb. 1. vers. 10. & quod est dictum de Deo, Psal. 104. v. 26. Item quod pollicetur Deus se Spiritum Sanctum daturam Ecclesie suæ, Ioel. 2. v. 28. Christus idem pollicetur. Ioan. 7. v. 38. Act. 2.

Secundus generalis locus, qui pro Christi Deitate probanda affertur solet, ducitur ab eius operibus, quia quæ Deus ipse fecisse dicitur, eadē Christus quoque fecit. Mundum creauit Christus, Ioan. 1. vers. 3. Col. 1. v. 13. Deus usque nunc operatur singula in hoc mundo disponens sua prouidentia, idem facit Christus & usque nunc operatur, Ioan. 5. v. 17. Deus missurus erat Spiritum Sanctū, qui homines doce-

ret

ret. Ioel. 2. v. 28. Christus misit eum. Ioa. 15. v. 26. Saluat nos Deus. Tit. 3. v. 5. Saluat nos Christus Ioan. 12. v. 1. Vitam æternam dat Deus, 1. Ioh. 5. v. 12. Vitam æternam dat nobis Christus, Ioan. 10. v. 28. Alia etiam opera, quæ sicuti Deo tribuuntur, ita & Christo, sunt à studioso adulescente obseruanda. Hoc modò contra Valentinianorũ, Anomceanorum, & infinitas aliorum hæreticorũ errores perpèdamus, quòd quæ opera Christus facit (sicuti facit Pater) ea facit non nuda Patris imitatione, quod hæretici sentiunt sed æquali potestate: non alieno iussu & mandato, sed propria autoritate. Illi enim putant sic Filium facere eadem opera, quæ & Pater facit, sicuti discipulus magistrum imitatur, vel sicuti exemplar inscriptam sibi formam impressam reddit non voluntate, sed necessitate. At Dei filius Christus & voluntate propriâque sponte operatur, & æquali cum Patre Deo tum potestate, tum sapientia. Itaque operans, velut miracula edens Christus, ait: Impero tibi vt exgas: item, Lazare, veni foras: Puella, tibi dico, surge, ostendens eam vim à se esse: non sic autem operatur, vt Apostoli, In nomine Christi surge & ambula.

○ Tertius generalis Diuinitatis Christi probanda locus est, ab eius miraculis, quæ planè persuadēt, ac demonstrant Christum esse Deum. Ioan. 3. v. 38. & 14. v. 11. Nam ea miracula non modò ipse fecit, sed etiam faciendâ aliis dedit, ac mandauit in nomine suo, id est, in virtute sua. Est autem à Deo solo virtus facientiorum miraculorum, qualia illa fuerunt. 1.



Cap. 41. ISAGOGES CHRISTIANAE

Cor. 12. v. 9. Matt. 10. v. 8. Marc. 16. v. 18. Itaque in nomine Iesu facta sunt ab Apostolis miracula, ut variis in locis docet Lucas in Actis ca. 3. v. 6. 4. v. & 19. Nec modò eius virtute fiebant miracula ab Apostolis, sed etiam ab iis, qui eum non sequebantur. Tanta præterea & tam frequentia à Christo miracula sunt facta, ut omnes palàm & publicè faterentur & agnoscerent nunquàm antea tale quicquam à superiori villo Propheta factum fuisse, Mat. 11. v. 5. & quæ Christus miracula fecit, ea fore Prophetæ prædixerant longè antea. Isa. 61. v. 1. Luc. 4. v. 18. quod fieri nisi merè diuina virtute, quam ipse penes se ut verus Deus haberet, non potuit.

Quartus generalis locus Deitatis Christi probandæ est, ab æternitate, quæ ubique in Sacris Scripturis Christo tribuitur, aded ut hæc doctrina etiam inter Iudæos, licet valdè corrupta iam eorum religione, vulgaris fuerit, Christum manere in æternum, Ioan. 12. v. 34. Ezech. 37. v. 25 Psal. 16. v. 8. Nihil autem est æternum præter Deum, quicquid æternum est, Deus est, quia quod est æternum, neque principium, neque finem habet. Itaque dicit ipse Christus, antequam Abraham esset, ego sum. Ioan. 8. v. 58. Quare quod Arriani de Filio Deo dicebant *ὡς ὄτε οὐκ ἦν*, Erat quando non erat, prorsus falsum & sacrilegum est. Est enim non tantùm Dei æterni Filius, quod Seruetus quidem fatebatur: sed etiam æternus Filius Dei æterni, quod postremum ille non concedebat. In quo manifestè repugnabat Scripturæ, & verbo Dei, ut apparet Prou. 8. v. 23. & sequi. Qui locus est diligenter obseruandus, quia ve-

teres Ecclesiastici scriptores Græci in eo intelligendo & explicando laborant, maximè verò Iustinus Martyr, quòd vim & significationem Hebræarum vocum ignorarēt. Putant enim illic scribi Creatam esse sapientiam Dei, vbi cætera eius opera crata sunt, & ibi esse vocabulum *Creandi* quod falsum est. Obiiciunt autem Arianni illud Luc. 1. v. 32. Filius Dei vocabitur, quasi antea non fuerit Christus Dei Filius, quàm cõceptus est in vtero Mariæ. *Vocabitur* enim illic more Hebræorum dictum est, pro verè manifestabitur, siue declarabitur Dei Filius esse, etsi hominem induerit, atque ita explicat Paulus Rom. 1. v. 4. Vocari igitur non significat, nunc primum esse incipere, sed manifestari quod iam erat.

Quintus quidem locus à veteribus observatur, qui mihi non valdè placet. Est autem ab ipsorum prophanorum hominũ testimonio. Citant enim & oracula, & apertas de Christi Deitate sententias, & Sibyllinos versus, præfertimque eos, in quib<sup>9</sup> ille ἀναγραμματισμὸς Iesus Christi in primis versuum capitibus ac literis fit: extat autem apud Lactantium: sed nos à Dæmonibus & profanis hominibus auctoritatem certitudinẽque fidei nostræ mutuari nolumus, vti neque Christus ipse voluit, neque etiam Paulus: sed vterque tale testimoniũ reiecit. Luc. 4. v. 41. Act. 16. v. 17. tamen hoc genere argumẽti maximè vsi sunt Lactantius, Eusebius in lib. de præparat. Euang. & Augustinus in lib. de Ciuitate Dei, & quidem appositè aduersus profanos ipsos, qui verbum Dei scriptum non admittebant.

Cap. 42. ISAGOGES CHRISTIANÆ  
CAP. XLII.

*Quamobrem Christum Hominem fieri oportuit.*

**I**X hac disputatione propriè intelligemus, quare Christus Dei Filius propriè Redemptor siue Saluator noster appelletur. Hæc autè de Christi Humanitate seu *ἁνθρωπότητι* disputationis appellatur, quæ commodioris explanationis causa in duo capita diuidetur à nobis, quorum primū cōtinet, quamobrem Christum Hominem fieri oportuit: secundum autem ipsam de Christi Humanitate explanationem, & tractationem. Ac primum quidem de primo capite agamus, atque videamus, cur Christum fieri Hominem oportuit. Non venit autem neque factus est Homo Christus propter opera & merita quæ feceramus. Aug. in Ench. cap. 30. & 36. Nam etiam ante tempora, ait Paulus 2. Tim. 1. v. 9. æterna decretum erat, ut Christus veniret, atque fieret homo. Sed apertè Scriptura docet, Deum nobis dedisse atque constituisse Filium suum, qui homo fieret, propter ingentem, quæ semper abundat in suos, misericordiam, ut eos nimirum ab exitio æterno seruaret in quod ipsi sese sponte coniecerant ac præcipitarant, Ioan. 3. v. 16. Ita deus dilexit hunc mundum, ut Filium suum vnigenitū dederit, ut quisquis credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Tit. 3. v. 5. Ergo propter multam caritatem



atem, qua secundum propositum & beneplacitum suum Deus dilexit nos. Eph. v. 4. 2. Tim. i. v. 9. Pater Deus misit Filium suum, qui homo factus est. Prior enim Deus dilexit mundum, non autem nos primi Deum dileximus, & in eo vno testatus est Deus se maximè dilexisse mundum, quòd vnigenitum Filium suum dedit, quum nimirum ille, vti dixi, est homo factus. i. Iohan. 4. vers. 10. Ergo non propter merita nostra Christus venit: sed propter misericordiam, & charitatem suam, quæ est ex ipsius proposito, eò què æterno de saluandis hominibus. Quemadmodum autem Filius ratione meritorum nostrorum impulsus non venit, ita neque alieni imperii necessitate, & voluntate coactus: sed propriam animi, voluntatisque suæ rationem secutus & venit, & mortuus est, Ioan. 10. vers. 18. Porrò vana est, & à Theologiæ finibus remota illa Andreæ Osyandri quaestio, & sententia misera, qui Ochani, & aliorum Scholasticorum curiosis matæologiis inhærens, præter sacra Scripturæ autoritatem definit, Christum in mundum venturum fuisse, licet Adam non peccasset. Contrà verò docemur, Christum idèò factum esse hominem, vt peccatores saluaret: non autem aliæ causæ à Patre decretum fuisse, vt homo fieret i. Tim. i. v. 15. Eph. 2. v. 9. 2. Tim. i. v. 9. Rom. 8. v. 3. Nos igitur, omiffis illis erroribus, de vera causâ agamus, propter quam Christus homo factus est. Dicimus igitur, Deo, qui omnia æqualiter potest, non fuisse conuenientiorẽ

Cap. 42. ISAGOGES CHRISTIANAE

modum sanandæ nostræ naturæ, quàm vt vni-  
 genitum Filium suū sibi coæternū, hominem  
 fieri vellet. Sunt enim, vt ait August. in lib. de  
 Agone Christiano, stulti quidam, qui dicunt,  
 quare non potuit Dei sapientia aliter homi-  
 nes liberare, nisi susciperet Dei Filius homi-  
 nem, & ex fœmina nasceretur, & à peccatori-  
 bus talia pateretur? Quibus respondendum est.  
 Omnia Deus poterat, si voluisset. Noluit au-  
 tem, idque iusta de causa, etiam si esset nobis  
 ignota, & incomprehensibilis: sed etsi aliter  
 faceret, æquè tamen vestræ stultitiæ id displi-  
 ceret. Visibiliter enim apparuit Deus, vt nos  
 ad inuisibilia præpararet. In quo displicet a-  
 uaris, quòd non aureum corpus habuit. Dis-  
 plicet impudicis, quòd ex fœmina natus est.  
 Displicet superbis, quòd contumelias pa-  
 tientissimè pertulit: & ne sua vitia videan-  
 tur defendere, non in homine hoc dicunt sibi  
 displicere, sed in Filio Dei. Hæc tamen Filii  
 Dei, quæ istis displicet, incarnatio tanti homi-  
 nis lapsus medicina fuit, quâta ne cogitari qui-  
 dem potest. August. Serm. 3. de Annuntiatio-  
 ne Domini, Sic voluit, ait, ruinam vasis fra-  
 gilis reformare. Denique vt nec peccatum ho-  
 minis dimitteret impunitum, quia iustus est:  
 nec insanabile, quia misericors est. Potuit ali-  
 ter fieri, quantum ad potentiam medici, sed  
 non potuit commodius aut doctius præpa-  
 rari, vt esset medicina ægroti: & quantum ad  
 iustitiam Dei. Et quoniam hoc totum, verâ-  
 que ratio, cur Christus Homo factus est, ex  
 Dei proposito & solo beneplacito pendet, 2.  
 Tim.

Tim. i. v. 9. sic dicendū est cum Paulo. Deus in Hominib. vti in Angelis ipsis, ab æterno tū misericordiæ tū etiā iustitiæ suæ opes patefacere decreuerat. Eph. i. v. 5, & 6. Ro. 3. v. 25, 9. v. 23. Itaque Hominum alios ad salutem ab æterno prædestinavit conseruandos & seruandos suâ gratiâ. Alios autem suo iudicio, & suæ iustitiæ reseruauit ab æterno. Vtrumque autem iustissima de causa, vt in Tractatu de Prædestinatione dicetur fusius. Atque hic Deo propositus finis fuit ab æterno, ad quem vt perueniret, siue vt hoc suum consilium exsequeretur; etiam illius exequendi media elegit & constituit ab æterno. Nam

Adamum creauit, { Creatione bonus,  
 qui erat quidem { Mutabilis tamen, id est,  
 spōte sua ab ea prima integritate creationis suæ  
 deficere poterat. quod fecit Adā: defecit enim  
 à primo illo suo statu felici, & in Deū peccauit.  
 Vnde pœna Adamū secuta est, nēpe mors duplex,  
 prima & secunda. Prima mors est animi à corpore  
 separatio ex quatuor humorū corruptione, quibus  
 corpus nostrum constat. Secunda mors est animi à  
 vita sua. i. Deo separatio. vtraque mors ex peccato  
 originali, de quo alibi dicitur, ad omnes homines  
 peruenit ac pertinet. Omnibus enim hominibus  
 statutum est semel mori, vti omnes peccato originali  
 rei naturâ tenentur. Verū vt ab illa pœna Deus  
 electos suos seruaret, & in iis Adami cui pœna  
 elueret, pœnāmq; persolueret peccati, Filium  
 suum mittere decreuit, qui vt nos redimeret,



debut idem esse verus } Deus  
 &  
 } Homo. Aug. Sermi.  
 33. de Temp. Tali auxilio & natura nostra in-  
 digebat, & caussa, vt reparare genus humanum  
 nec sine maiestate posset humilitas: nec sine  
 humilitate maiestas. Basil. in Psal. 8. Οὐδ' ὄλος  
 ἄνθρωπος ἐξουσίαν ἔχει πρὸς θεόν, ὡς καὶ ἐξελάσκειας πρὸς  
 ἡμάρτηκός, Ἐπεὶ καὶ αὐτὸς ἁμαρτίας ὑπόδικος. τί ἐξ ἑαυτοῦ  
 ταὶ ἀνθρώπος ἰσχυρὴν ἴσχυριν, ἵνα δῶ ὑπὲρ λυτρώσεως αὐτοῦ.  
 Vnde concludit, Ergo Christus per quem re-  
 dempti sumus, non fuit φίλος ἄνθρωπος, sed Θεός.

Deus quidem duabus de caussis esse debuit.  
 Prima, quòd aliquam esse proportionem inter  
 peccatum Adami & pœnam peccati oportebat.  
 Erat autem Adami peccatum, quia Deum  
 offenderat (qui infinitus est) offensa & qualita-  
 te infinitum. Ergo & peccati pœna debuit esse  
 infinita, quæ idcirco à nulla creatura sustineri  
 atque absorberi potest, potuitue (omnis enim  
 creatura, etiam Angeli ipsi natura sunt finiti)  
 sed à solo eo, qui simul & homo, & Deus erat:  
 quanquam tamen Deus seu Deitas in Christo  
 nihil est passa: sed duntaxat humanitas ipsius,  
 tamē à Deitate (cui erat, atque ad eò est hypo-  
 staticè vnita) tantùm corroborata & sustenta-  
 ta fuit, vt pœnam illam omnium electorum  
 peccatis debitam (quæ est infinita) ferre, & ex-  
 haurire posset iste homo Mediator noster a-  
 pud Deum. Heb. 9. v. 14. Vnde nostrum redē-  
 ptorem Deum quoque esse oportebat. Secun-  
 da caussa est, quòd qui alios saluatam venerat,  
 debuit esse ipse fons vitæ sanctitatis, & omni  
 peccato;

peccato, & vitio carere, ne ( quum pateretur )  
 pro se, non autem pro aliis videretur patin-  
 sanctū eū esse oportuit, vt nos quoque sancti-  
 ficaret. Itaque & ipso peccato Originali, & cę-  
 teris, quę Actualia vocantur, eū carere oportuit,  
 ne & ipse alio mediatore egeret. Denique  
 ipsa sanctitatis scaturigine præditū esse, vt ex eo  
 ad nos redūdaret iustitia, & vita quoq; ęter-  
 na. Vnde Deū esse Redemptorē nostrū oportebat,  
 quia nullus homo, imō nulla creatura potest esse  
 fons vitę æternę, & sanctitatis: sed solus Deus est talis.

Homo autē verus esse debuit, duabus itē de  
 causis: Vna, quōd quęadmodū in natura huma-  
 na offēsus erat Deus: ita in humana natura fuit  
 placādus, nō autē in angelica natura, vel pecu-  
 na. Heb. 2. v. 10. & 11. Ergo Dei Fili⁹ homo factus  
 est, nō autē angelus, nō bellua. Altera ratio est,  
 quōd eū, qui inter Deū & homines Mediator  
 futurus erat, oportebat aliquid simile Dei,  
 aliquid itē habere simile hominib⁹: ne hominib⁹,  
 aut Deo tātūm similis, lōgē esset ab vtroq;  
 atq; ita Mediator non esset. 1. Tim. 2. v. 5.  
 In quo ipso facili⁹ (putat Augustin⁹) Christus  
 Diabolū fefellit, quōd hominē induit. Nā quę  
 Satā, vt hominē, putabat se occidisse, is resurrexit  
 tamē, quia De⁹. Ergo Homo Filius Dei fact⁹  
 est. Cur autē Filiū potius, quā Patrē, vel Spiritū  
 Sanctū oportuerit venire, hęc putat esse  
 rationem Aug. Quęst. Veteris & Noui Testamenti,  
 Quęst. 118. quōd nominatim Filiū tangebatur  
 ea causa. Quum enim Filii Dei dignitatem  
 vsurpare tētasset Diabolus, & voluisset

Cap. 43. ISAGOGES CHRISTIANAE

post Patrē dici Deus ( quod propriū est Filii) quū Diabolus se caput & principē omnis creaturæ dici ostendisset ( sit autem Christus) oportebat Christum, siue Dei Filium venire ad Diabolum comprimendum, quod propriè Filium ea ratio attingebat, & Satan in eius honorem & partem inuolauerat. Duas alias rationes affert August. huius incarnationis Ser. de Temp. 8. Ex quibus etiam omnibus satis apparet, cur neq; angelus creatus saluare nos potuerit, neque ipsum etiam Dei Filium angelum fieri oportuerit, sed verè hominem. Angelus enim seu angelica natura saluanda non erat sed humana tantū. Item Angelus qui creatus est, & finitus, infinitam Dei iram perferre atque sustinere non poterat, Heb. 2. v. 16. & 17. Vide Cyrill. l. b. 9. In Ioan. cap. 37.

C A P. XLIII.

*De vera Christi HUMANI-  
TATE, seu Humana ipsius  
natura.*



V V M de Christi natura humana  
quæritur, quatuor hæc docēda sūt,  
& tractanda. 1. Christū assumpsisse  
se totam naturam humanam rati-  
one essentia, non autem ratione massæ, vt do-  
cet Damascenus. 2. Sumpsisse naturam hu-  
manam, qualem habuit Adamus post pecca-  
tum, nempe pœnis peccati obnoxia, & formā  
seruī,



ferui, non Domini, in qua primus homo ante suum peccatum fuerat conditus. 3. Assumpsisse tantum infirmitates & pœnas peccati, non autem ipsum peccatum. 4. Sic assumpsisse nostram eam carnem ut eam nunquam deponeret, & ab vnione personæ abiiceret. Veram Christi humanitatem breuiter explicat Symbolū Apostolorū, quemadmodū appellatur. Christū enim docet verè ex Maria V. cōceptū, nō ex humano tamē coitu, aut maris femine. Itē Christū natū, passū, sepultū fuisse, resurrexisse, & reliqua omnia illi accidisse quæ nō nisi vero homini Christo cōtingere poterūt, & in quibus modus ratioque ipsa salutis nostræ absoluēde & perficiēde cōtinetur atq; describitur. Ergo Christus verū nō aëreū corpus habuit, circumscriptum, passibile, & quale cæteri homines habent. Heb. 2. v. 14. Vt autem ipsam corporis & humanæ animæ essentiā totā, & veram assumpsit, ita essentielles quoque vtriusque proprietates, & ea quoque quæ sūt vtrique propria quarto modo, excepto peccato. Itaque circumscriptū loco nō infinitū: terrenū, non cæleste, ut volunt Mennonitæ: verum, non phantasticū: humanū non aëreū aut cæleste corpus Christus habuit, sed & animā quoque verè humanam assumpsit, quæ similibus nostrarum, & appetitionibus, sed in Christo non vitiosis, mouebatur. sentiebat enim, lætabatur, dolebat, misericordia & sancta ira siue zelo tãgebatur. In quo Scholasticis quoque assentimur, qui aiunt Christū assumpsisse

Cap. 43. ISAGOGES CHRISTIANÆ

ea tantum corporis *μαρτυρι* & infirmitates, quæ  
 nō sunt personales, vt febris, lepra, phtisis est:  
 sed vniuersæ naturæ humanæ communes, vt  
 fitire, esurire, mori posse, quemadmodū ante  
 Scholasticos Damasc. & Euagrius lib. 4. cap.  
 penult. tradiderant. Quod autē ad animi affe-  
 ctus, inter nostros & Christi affectus hoc dif-  
 crimen fuit, quod in Christo nulla animi affe-  
 ctio, & motus vitiosi fuerunt, in nobis autem  
 nunquam vlli (quanquam naturales, & à Deo  
 dati) satis tamen moderati manent, quoniam  
 omnes originalis vitiositatis labe infecti su-  
 mus, & polluti, & quātumuis sancta cogitatio  
 nostra est, est tamē impura, nō carens aut labe  
 aut defectu. At Christus caruit vitio. In omni-  
 bus enim similis factus est nostrū, excepto  
 peccato. 1. Ioh. 3. v. 5. 1. Pet. 2. v. 22. Quia verò in  
 Catechismo de hoc argumento luculenter  
 agi solet, plura hīc de Christi humanitate  
 non dicemus: ad ea enim se referat studiosus.  
 Videat quoque Aug. de Temp. Serm. 129. Er-  
 go Christus assumpsit non totam massam  
 humanam, sed ex ea massa particulam, quam  
 sibi vniuit in perpetuum, Damasc. lib. 3.  
 Orthod. fidei cap. 2. & 6. Illam verò naturam  
 nostram rationē essentiæ totam & integram  
 assumpsit, non defectuosam. Illud scien-  
 dum igitur est, etiam humanam mentem  
*νοητικὴν* à Christo assumptam fuisse, non tantum  
 animam sensitivam, vt vocant, & corpus verè  
 humanum. Apollinaristæ enim negant Chri-  
 stum humanam mentem assumpsisse: et si ii-  
 dem

dem non diffitentur Christum verè humanam animam, sed sensitivam, vnà cum vero corpore habuisse, sed sentiunt diuinam naturam in Christo pro mente fuisse, quæ sententia falsissima est, id quod olim Alipius quoque existimauit, sed reprobauit postea. Hoc enim dicere est omnino negare Christum fuisse verè hominem, Bestiæ quoque ipsæ & corpus & animam sensitivam homini similem habent, mentem autem non habent. Neque tamen illæ sunt homines. Prætereà vera est illa Nazianzeni sententia, Quod non assumpsit Christus non saluauit. Quare si Christus hominis λογικόν non assumpsit, nondum salua est hominis anima. August. de Temp. Ser. 145. *Totum suscepit, totum liberauit Verbum.* Sed neque Christus, id quod homini propriū est, habuisset. Ergo & mētem verè humanam, & mentis essentielles proprietates habuit, vt cresceret ac proficeret in sapientia, Luc. 2. v. 52. & affectus naturales, vt letaretur, tristaretur, Joh. 11. v. 33. 35. Itaque propriam infantie mētis & intelligentiæ mensuram habuit, quæ tamen sine peccato fuit in eo, etsi in nobis etiam infantibus nostra ignorantia pœna est peccati originalis, sed in Christo fuit mensura ætatis & distinctio naturæ. Nā ab ipsamet eius Deitate fuit tūc quoque impletio facta & infusio, sed duntaxat pro capacitate vasis tum adhuc per ætatem, & per rerū naturam angustii. Quod autem Scholastici aiunt Christi animum fuisse ab initio suæ cōceptionis ornatam omni sciē-



Cap. 43. ISAGOGES CHRISTIANAE

tia, quam postea habuit, & demonstravit, si id intelligunt de *σωαυει*, & nos quoque concedimus. Sin autem *επερυσια* iam donatum iis donis putant quum conciperetur, refutantur à Luca manifestè Luc. 2. vers. 12. Porrò quum dicitur Filius Deus carnem humanam suscepisse, intelligi debet, vt Patres loquuntur, *ασυχυτος, αμεταλλαττος, αδιαπελως*, id est, *inconfuse, immutabiliter, inseparabiliter*. Sed neque ita quoque accipi debet, quasi omnis claritatis eius maiestas intra breuissimos corporis fines conclusa fuerit, ita vt omne verbum, omnis Dei sapientia à Patre diuisa esset, & intra corporis illius breuitatem circūscripta, nec vsquā alibi existeret, nec alibi præterea putetur operata: sed inter vtramque tanta pietatis debet esse confessio, vt neque aliquid Deitatis in Christo defuisse videatur, & nulla penitus à Paterna substantia quæ eadem & Filii est, & quæ vbiq; est, putetur facta esse diuisio.

Tertiò Christus assumpsit naturam nostrā, qualis fuit, obnoxia iam pœnis peccati: non autē qualē eam habuit Adamus ante peccatū. Tūc enim nec valetudinaria, nec injuriis cæli obnoxia, nec fame, nec siti vexabilis, nec mortalis erat. At postquam peccator fuit, iis omnibus incommodis fuit obnoxia natura, carōque humana. Ergo & sitiuit, & esuriuit Christus, & alfit, & vexabilem, imò laboriosissimis illis pœnis peccati cruciabilem carnē habuit, Ioh. 4. Mat. 27. denique mortalem.

Denique formam serui accepit, vt ait Paulus

lus Phil. 2. 1. eam naturam nostram, quæ cuilibet contumeliæ generi esset obnoxia, & tristissimæ conditioni. Id quod in Christi morte maximè apparuit, etsi quod de infirmitatibus personalibus nõ assumptis ab eo diximus, verum esse concedimus. Denique sic naturam nostram per suam incarnationem assumpsit Christus, vt eam nunquam postea deposuerit, sitque depositurus, ne nostra cum Deo coniunctio pereat, & frater noster, ac proinde & mediator noster esse desinat, Heb. 7. v. 24. 9. v. 24. Nam quod Christus ante suum aduentum sæpe etiam humanam formam induit, id faciebat ad tempus, & huius corporis formam deponebat re peracta, propter quam eam assumpsit. Sed hoc corpus, & naturam à se susceptam nunquam deponet. Et quod Patrum fuit Mediator etiamsi carnem non haberet, id fiebat in vim huius carnis, quam postea assumpsit, & nunquam iam abiicit. Ergo ius habuerunt in ea Patres, licet eam nondum haberent. In summa caro illa Christi est canalus ille sanctissimus, per quem dona salutaria ex Christi Deitate haurimus, velut sanctitatem, vitam æternam, lumen cæleste. Nisi enim illi Christi carni mysticè coniungeremur, & in ea infere remur, nulla ex Christi Deitate dona in nos defluerent: sed insiti Christo per ipsius carnem nostram *ὁμοίωσιν*, consequemur vitam cælestem, & quæ ad eam dona sunt necessaria, fructumque ferimus, Iohan. 16. & Spiritu

Cap. 43. ISAGOGES CHRISTIANAE  
tus ille Christi nos regit, gubernat, & <sup>κακοποιεῖ</sup> in nobis nostras actiones, quia sumus os ex os-  
sibus ipsius, & caro ex carne Eph. 5. v. 30. Por-  
rò vt illi carni Christi inferamur, fide opus est.  
Illa enim vna est manus spiritualis, per quam  
Christum apprehendimus: illa vna, vinculum  
per quod coalescimus atque vnimur cū Chri-  
sti carne: illa vna eiusdem vnionis lorum & re-  
tinaculum. Joh. 15. Ergo non fit illa nostra cum  
Christi carne vnio per essentialium nostræ &  
Christi confusionem, non item per corpora-  
lem mixtionem, sed planè mystico ac spiritua-  
li modo ac ratione. Ergo fide nobis omnino  
opus est, vt cum vera illa Christi carne copu-  
lemur. Vt fidem porrò habeamus, & verbi Dei  
prædicatione, & Sacramentis est opus. Quare  
hæc catena est, Verbi Dei prædicatione, & Sa-  
cramentis Spiritus Sanctus fidem generat &  
fonet in nobis: fides nos Christi carni veræ &  
sanctæ coniungit. Caro illa est canalis dono-  
rum Dei in nos, ergo illa omnia sunt ad no-  
stram cum Christo homine coniunctionem  
necessaria. Cæterùm vera est illa Augustini sē-  
tentia Serm. 9. & 10. de Temp. *hunc fudit mater  
Maria femina seruum in terris, quæ habent Angeli  
imperatorem in caelis. λόγος enim ex utero Mariæ  
exiit, qui eius angustias intrauerat.* De-  
nique non tota Deitas in Christo ratione per-  
sonarum, sed tota ratione essentiali assumpsit  
humanam naturam. Nam quæ Deitas in Chri-  
sto seu Filio Dei assumpsit hominem, ea fuit &  
vera & tota: sed relatè in persona solius filii cō-  
fide-



siderata, & subsistens. Et hæc quidem de vera Christi natura Humana.

## CAP. XLIIII.

*Quando Christus HOMO factus sit.*

**M**ulti quærent, quare tam diu Christus venire distulit, ut demum Augusto imperante, id est, plus quam ter mille annos à condito mundo Christus natus sit & conceptus sit, Luc. 2. v. 1. Sed si illi putant & virtutem & effectum & naturam & mortis Christi tum demum in electis, & seruandis vires suas habuisse, & iis profuisse, postquam Christus reipsa & natus & passus est, falluntur. Nam ab origine mundi agnus crucifixus est, id est, Mors eius salutem in electis operata est. Apoc. 13. v. 8. Gen. 3. v. 18. Sin autem illud potius quærent, cur demum nostris & extremis temporibus, ut loquitur Scriptura, Christus in carne apparuit, certè ad inscrutabile Dei consilium recurendum est, qui tempora incarnationis futuræ decreuit, & destinauit quæ voluit, post quæ completa venit Christus, & factus est ex scæmina homo. Gal. 4 v. 4. Quod tantum in nos Dei beneficium ratione temporum in quæ deventuri eramus dupliciter nobis non debet, quum eo modo nostram conditionem, nostraque tempora Deus plusquam Prophetas ipsos honorarit, atque decorarit. 1. Pet. 1. v. 11. & 12. Eph. 3. v. 5. Ea enim incarnatio iam pridem per Prophetas futura

Cap. 44. ISAGOGES CHRISTIANÆ

prædicta erat, eius tamen implementum ad tempora postrema, id est, apparitionis Christi dilatatum est. Isa. 7. Malach. 4. Daniel. 9. tamen apparitio angeli illius seu Iehouæ, id est, Christi fuit futuræ incarnationis præludium. Nec tamē Christi caro extitit, antequam à Verbo, id est, à Filio Dei in vnionē personę assumretur: sed eo demū tempore esse cœpit, quum ex femine Mariæ à Spiritu Sancto est condita & sanctificata, quo ipso momēto cœpit quoque vniri λόγος. Extremis autem seu nouissimis temporibus Christus incarnatus est, quia Deus, vti faciunt optimi medici, extremum remedium extremis temporibus, & deprauationibus mūdi reseruauit. Præterea, vt scribit Euseb. lib. 2. hist. Eccl. cap. 3. primis illis temporibus rudiores adhuc erant homines, quàm vt tam altam de Christi incarnatione Philosophiam capere possent. Itaque prius Prophetiis & cæremoniis oportuit eos esse diu multūmq; præparatos. Certè quidem illud verum est, quantò propius Christi aduentus & incarnatio instabat, eam tantò clarius à Deo reuelatam fuisse, ne homines excusationem ignorantiaque prætexerent. Itaque clarius patefactus est Moysi, quàm Abrahamo Christus: clarius Prophetis, quàm Moysi: clarius Ioāni Baptistæ, quàm Prophetis. Ergo breuissimè ita responderi atque sentiri debet, Christum tum voluisse apparere, & tunc suam doctrinam prædicari, vbi & quando sciebat profuturam esse. Incarnatus autem esse creditur octauo Calēd. Ianuarij, vt ait Augustinus: alij tamen id euenisse malunt mense Septem-

Septembri. Mortuus in cruce pro nobis anno  
 ætatis tricesimotertio cum semestri, Luc. 3. v.  
 23. Anno imperii Tiberii decimo octauo. Scie-  
 bat ergo Deus vti omnium rerum aliarum, ita  
 sui beneficii patefaciendi maturitatem & mo-  
 menta, Act. 16. v. 6. Denique hæc ipsa quæstio,  
 Cur Deus postremo demum tempore Filium  
 exhibuerit, fuit Porphyrii in Euangelium sar-  
 casmus, manifesti Christianorum hostis, vt  
 docet Hierony. in Epist. ad Ctesiphon. aduer-  
 sus Pelagianos.

## CAP. XLV.

*De varia utilitate, quæ ex homine, seu natu-  
 ra humana à Christo assumpta capitur.*

**M**ulti autem sunt, ac numero infini-  
 ti fructus, qui ad nos ex eo redeunt,  
 quod Christus Deus homo factus  
 est, veluti pœnitentia hominum,  
 cōuersio ad Deum, remissio peccatorum, gra-  
 tia iustitiæ, fides piorum, & cætera huiusmodi.  
 Quos omnes fructus Paulus reuocat ad hæc  
 quatuor capita, nempe quod Christus factus  
 est nobis Sapientia, Iustitia, Sanctificatio, &  
 Redemptio. I. Cor. 1. v. 30. Ioa. ad duo 1. v. 31. 8.  
 v. 12. quod Christus factus est nobis Lux & Vi-  
 ta. Denique eo modo omnes salutariū nobis  
 gratiarū thesauri ac fōtes sunt aperti. Nā ipse  
 ille Christus homo est fons & plenitudo ipsa,  
 de qua haurim⁹ oēs. Io. 1. v. 14. Col. 1. v. 19. 2. v. 9  
 Ep. 1. v. 7. & 8. Nec enim sola Deitas mediatrix  
 esse potuim⁹ vti neq; sola humanitas, sed demū



Cap. 45. ISAGOGES CHRISTIANAE

humana natura cum diuina vnita. Aug. lib de  
 Ouibus cap. 12. Denique Christus homo fecit  
 nos fideles & suos, reges, & Prophetas & Sa-  
 cerdotes Dei. Apoc. 5. v. 10. fecit nos Deo Chri-  
 stos & peculiarem populū, & summè Deo ca-  
 ros, Pſal. 95. v. 7. & 15. 1. Pet. 2. v. 9. Tit. 2. v. 14.  
 Nos autem commodioris doctrinæ causa ali-  
 quot vtilitates colligemus, ad quarum exem-  
 plum Theologiæ candidati reliquas priuato  
 studio observabunt.

Ac vna quidem vtilitas hæc est, Gratia Dei  
 erga nos, quæ non potuit melius & certius cõ-  
 mendari, neque item gratius, quàm vt vnicus  
 Dei Filius indueret hominem. Sic enim dile-  
 ctionis sæ symbolum, fidemque dedit homi-  
 nibus, quū ipse Deus immortalis sit: nos mor-  
 tales: ille beatus, nos miseri: ille iustus, nos im-  
 pii. Tit. 2. v. 11. Ioan. 1. v. 17. & 3. v. 16. & tamen  
 pro nobis homo factus. Ergo maius beneuo-  
 lentia & dilectionis Dei erga nos testimoniū  
 habere non possumus, quàm hoc est, nempè,  
 quòd Christus Filius vnigenitus, qui ab æterno  
 in sinu Patris erat, pro nobis homo factus est  
 & passus. *Quid ita pietate plenū, quàm quod filius  
 Dei pro nobis factus est fœnum*, Bernardus.

Alia vtilitas est ipsa salus nostra æterna.  
 Omnes enim salutis nostræ partes impleuit  
 Christus Homo factus, vt in Symbolo expli-  
 catur, & à Paulo breuiter sic. *Mortuus est pro-  
 pter peccata nostra: resurrexit propter iustificatio-  
 nem nostram*. Rom. 4. v. 25. vnde omnes partes  
 illi ab eodem Paulo tribuuntur alibi, 1. Cor.

i.v. 30. Per Christum igitur Hominem factū  
 viuificamur nos antea in Adamo mortui. Rō.  
 19.v.17. Ioan. 5.v.22. 1. Cor. 15.v.22. Ipse est me-  
 dicus, & medicina quoque ipsa & actualis &  
 originalis peccati nostri. Nam contra peccati  
 pœnam totius potens & singulare remedium  
 est mors Filii Dei. Aduersus peccati reatum  
 est sanctitas Christi, & integritas natia quæ  
 est in eo. Ergo quod ad pœnam, & magnitudi-  
 nem pretii totius redemptionis nostræ atti-  
 net, sanguis ille Christi pretiosissimus & im-  
 maculatus abundantissimè sufficit, est que re-  
 demptionis nostræ iustum pretium & pœna.  
 1. Pet. 1.v.8. Ephē. 1.v.7. 1. Tim. 3.v.16. Basiliius  
 in Psal. 48. *εὐρέθη ἐν ἐμοὶ πάντων ἀνθρώπων, ὃ ἐδίδθη εἰς  
 πῦρ ἀπολύσεως τῆς ψυχῆς ἡμῶν, τὸ ἅγιον καὶ πολυτίμητον αἷμα  
 τῆς κρείττης ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὃς ἔχεται ἔχων δύναμι τῆς θεῶ  
 ἰλασμοῦ ἑαυτοῦ, ἐδ' ἰδὼν ἀπολύσει αὐτῆς ψυχῆν, διότι ἀ-  
 μαρτίαν ἐκ ἐποίησεν, ἐδ' εὐρέθη δόλος ἐν τῷ σώματι αὐτοῦ.*  
 Ideo mortem sustinuit, ait August. Serm. de  
 Temp. 101. vt iniusta mors iustā vinceret mor-  
 tem, & liberaret reos iustè, dum pro iis occi-  
 ditur iniustè. Quòd ad nostram coram Deo iu-  
 stitiam, illius hominis obedientia est tota &  
 integra nostra coram Deo iustitia, quoniã no-  
 bis illa imputatur, vt nostra esse cēseatur. Ad-  
 uersus igitur actualis peccati reatum remediū  
 est actualis Christi hominis hīc in terris versan-  
 tis obediētia. Verūm aduersus peccati origina-  
 lis corruptionē ac reatum nostrū coram Deo  
 remedium est ipsa Carnis Christi natia pu-  
 ritas, & integritas. Itaque vnus Christus est  
 plenum omnium nostrorum vulnerū myro-

Cap. 45. ISAGOGES CHRISTIANAE

thezion pharmacum & remedium. Ex quo fit, ut omnes redemptionis nostrae partes Christus Homo factus impleuerit. Item haec quoque ex eo utilitas est, quod exemplum patientiae & humilitatis nobis dedit, Hebrae. 12. v. 3. 1. Pet. 1. v. 21. 4. v. 13. Sed non tantum est Christus exemplar patientiae, & omnium virtutum: sed etiam est earundem in nobis efficiens causa, excitator, & inspirator. Nam cum affectum nobis inspirat, & vim animi, dum ipsius carni per fidem communicamus; per quam & patienter & bene agere possumus. Neque enim ut caeteri homines sancti, sic & Christus est solum exemplar patientiae: sed est & causa & dator talis doni, & gratiae per Spiritum suum in nobis agentem. 1. Pet. 4. v. 1. Cyrillus lib. 4. Theauri cap. 1.

Item haec alia utilitas, quod eo modo docuit Christus, quid quantumque Deo pro peccatis nostris debeamus, ne forte peccatum res leuis momenti esse censeatur. Nam quum pro peccato Filium Dei mori oportuit; ut expiaretur, 1. Pet. 3. v. 8. quantum scelus censendum est peccatum?

Item haec, quod per naturae nostrae assumptionem Deus eam nobilitauit, ut iam caelestium gratiarum particeps fieri possit, veluti Resurrectionis, quia Christus resurrexit, in caelum ascensionis, quia Christus homo euectus est, & immortalis felicitatis, ubi felici beatoque statu fruitur, quia Christus homo sedet ad dexteram Dei Patris Heb. 2. v. 17. & 13. 1. Cor. 15. v. 13. Eatenus enim nos sumus earum Dei gratiarum



tiarum capaces, quatenus communicamus fide illi carni, quam Christus pro nobis assumpsit. In quo, vt rectè annotat Augustin. natura nostra supra primæ originis dignitatem est reparata, vt plus in Christo consequamur, quàm in primo homine Adamo amiserimus: quanto illa gratia (qua nostra natura cum ipsa Deitate in vnâ personam vnitur in Christo) est maior quàm ea, qua in Adamo nostra natura erat tantum imago Dei, ac proinde cum ipsius tantum imagine: non autem (vt iam est in Christo) cum ipsomet Deo coniuncta.

Item, quòd Christus legem implerit, & omnes prædictas de eo prophetias, omnesque cæremonias, quæ in lege fuerat institutæ, Mat. 5. v. 17. Itaq; omnes Patres & Prophetæ huius incarnationis desiderio valde flagrarunt, quòd in eo intueretur rerum speratarum veritatem, & tanquam vmbra, quas tunc aspiciabant, corpus. I. Pet. I. v. II. Ioan. I. v. 17. Heb. 9. Ergo neque Lex, neque Prophetæ intelligi possunt, neque verus cæremoniarum legis vsus, nisi ad Christum incarnatum referantur, & conuertantur, cuius vmbra & sacramenta erant. Ioan. 5. v. 47. 2. Cor. 3. v. 16. Col. I. v. 14. Christus autè est corpus, veritas, & finis legis.

Item hæc, Gentium vocatio. Per Christum enim Gêtes ad salutem vocatæ sunt, quæ prius dicebantur, & erant extraneæ. Nam Christus medium & intergerinum parietem diruit, qui inter Iudæos & Gentes erat, & fecit ex vtrisque vnum populum, Eph. 2. v. 14. Et illud est arcanum magnum, quod superioribus seculis

Cap. 46. ISAGOGES CHRISTIANAE  
non innotuerat, nimirum ut gentibus officium  
salutis & fidei patefieret, & fierent ille promil-  
sionum Dei & adoptionis hæredes, sicut Iu-  
dæi Act. 14. v. 27. Imò verò, ut etiam in Iudæo-  
rum locum gentes tanquam alienæ stirpes &  
agrestes oleastri infererentur, atque in hære-  
ditatem Dei implantarētur. Rom. 11. v. 24. Act.  
13. v. 46. Quod Christus fore prædixerat, &  
Prophetæ. Matth. 8. v. 11. Isa. 66. v. 19. Rom. 15.  
v. 9. & 10.

Denique quantum mysterium, quantam-  
que utilitatē Christi incarnatio cōtineat ex-  
plicat Paulus, Rom. 1. v. 4. & 1. Tim. 3. v. 16. Sed  
& illud August. Serm. 20. de Tempore adiciat-  
tur. *Hinc intelligimus, quàm grandes Deus apud  
se æstimet humanorum criminum causas, pro-  
pter quas non Angelum, non Archangelum: sed  
Deum misit ad terras. Quàm grauis sit peccati, &  
quàm dura conditio, prodit remedi, & preij ma-  
gnitudo.*

CAP. XLVI.

*De vtriusque nature in vna Christi personâ  
HYPOSTATICA VNIIONE.*



Vanquam distinctè facilioris insti-  
tutionis causa supra de Christi Dei-  
tate & humanitate diximus, vna ta-  
men est Christi persona, aut potius  
Christus ille vna est illa persona vtraque con-  
stantis natura, nimirum diuina & humana. Ne-  
que

que enim Deitas humanitatem absorpsit, vt sentit Euty chēs: neque humanitas Deitatē expulit, neque vtraque natura confusa, aut alterata, aut mutata est: sed est in vna persona distincta, non autem separata, sed hypostatica vnione vnita & coniuncta inseparabiliter. Nā earū neutra iam *ἀνὰ μέν* subsistit, & vt vocāt Græci Patres, *συνεπίστασι*. i. seorsim & separatim. Itaque de vtriusque Naturæ Vnione iam agendum est, itémque de Distinctione vtriusque Naturæ in vna, & eadem illa Christi Persona, ne huius rei ignoratione plures in Scriptura loci confundantur. De quo vide Damasc. lib. 3. Orth. fidei cap. 11. & de Dial. cap. 44. & 64. Ergo Deitas susceptione carnis in Creaturam mutata non est, vt desineret esse Deitas. Nec hoc sibi vult Ioan. 1. v. 14. quum ait, *Verbum caro factum est*: sed ait, Verbum assumpsit carnē, vt explicatur Heb. 2. v. 16. Caro item creatura in Deitatem non est versa, vt desineret esse caro & quod ad essentiam, & quod ad idiomata essentialia, & reliqua omnia, quæ sunt ei propria quarto modo, excepto peccato. Nā sublatis & abolitis carnis proprietatibus ipsa quoque essentia carnis aboleatur in Christo necesse est. Tollēs enim proprietates essentielles tollit naturas. Christus naturam humanam assumpsit, id est, non tantum essentiam, sed etiam essentielles proprietates. Personā autem humanam non assumpsit, quia natura humana à Christo assumpta nō per se aut in se subsistit, sed in Persona verbi, à qua fuit assumpta in vnionem hypostaticam & arctissimam.



Cap. 46. ISAGOGES CHRISTIANÆ

Christus igitur & *καρὸς* Dei & Homo quia caro factus est, in duabus naturis inconfuse permanet, vna nempe diuina, per quam Patri est æqualis, inuisibilis, impassibilis, incircumscriptus, æternus, & secundum quam dicit, *Ego & Pater vnum sumus*, Ioa. 10. Deus ante omnia secula, cuncta cum Patre creans, Filius Dei, Deus & Persona ante susceptam carnem. Neque enim tunc ccepit esse Deitas Christi, quum cœpit in vtero Mariæ caro fieri: sed quæ iam erat, & per se vt persona subsistebat, carnem suscepit, neque eius infirmitatem exhorruit, sed voluntariè se demisit Christus Patri æqualis, vt formam serui acciperet. Phil. 2. v. 7. Altera natura est Humana, per quam Christus etiam post Vnionem illam naturarum verus homo est corporeus, visibilis, circūscriptus, olim passibilis, & secundum quam dicit, *Pater maior me est*: item, *Non facio meam voluntatem, sed eius qui misit me Patris*, per quam itē non est ubiq; diffusus, sed certo in loco, contra Eutychem, qui eam naturam abolitam fuisse cœset. In forma Dei est æqualis Patri, in forma serui similis nobis: in vtraque verò caput Ecclesiæ. Ergo gemina est natura Christi, sed vna persona, cōtra Nestorium. Nam vnus & idem est Dei Filius, & Filius hominis Dominus noster Iesus Christus, nō duo filii, vt voluit Nestorius, I. Tim. 2. v. 5. sicut in vnitae personæ anima vnitur corpori, & homo fit: ita in vnitae personæ Deus vnitur homini, & Christus fit. Quū tamen Verbum vnitum est carni, & animæ & corpori coniunctum est, vt diximus. Neque enim

enim humani corporis in Christo fuit natura  
 diuina. Porro hæc natura assumpta seu caro  
 Christi creatura est, quam tamen etsi cū Dei-  
 tate Christi adorare dicimur (quoniam nimi-  
 rū est vna persona Christi, & illa caro Deitati  
 vnita est. Neq; enim Christi humanitatē per  
 se, vt neq; diadema regium humi iacēs adora-  
 mus, sed vbi regis capiti erit impositū) propriē  
 tamen & directē nostra illa adoratio in ipsam  
 carnem Christi nō fertur, sed in illius Deita-  
 tem, cui caro est hypostaticē vnita. Est enim  
 solus Deus adorandus Matt. 4. v. 10. Cæterū  
 hæc Vnio naturarum in vnam personā facit,  
 vt quælibet earum vocabulum ex se concre-  
 tum alteri impertiat, & diuina humanæ, &  
 humana diuinæ. Vnde Deus hic dicitur ho-  
 mo, cōtraque. Sed vnus quoque naturæ pro-  
 prietas alteri tribuitur, quæ res à veteribus  
*κοινωνία ἰδιωμάτων* & *ἀντιθέσις* est appellata: vt quū  
 dicitur Deus passus & crucifixus, quod est hu-  
 manæ naturæ propriū, diuinæ tribuitur. Deus  
 autem natus dicitur, quū carnem assumptam  
 Deitas *λόγος* extra aluum Mariæ exportauit.  
 Ergo non carnis siue humanæ naturæ natiui-  
 tate duntaxat Deitas nata est, sed ipso etiā e-  
 gressu ex vtero virginis Mariæ. Vnde Maria  
*θεότοκος* rectē & verē dicitur. Passus verò Deus  
 dicitur, non quòd tamen natura diuina suam  
 proprietatem, quæ est, vt impassibilis sit, siue  
 potentiam amiserit, aut passa sit ipsa Deitas  
 vllō pacto, quod tamen iā quidā nefariē defē-  
 dūt, sed quia humana ei⁹ natura passa est. Vtra-  
 que enim illa natura est vna persona Christi.

Cap. 46. ISAGOGES CHRISTIANÆ

Christus verò passus est salva diuinitatis impassibilitate, natus est salva diuinitatis æternitate. Cæterum hæc quæ fit idiomatum κοινωσίς, quanquam vera est (vbi ipsa Vnio naturarum est vera) est tamen prædicatio Dialectica, & non Physica verbalis, sed vera nihilominus propter hypostaticâ vnionem: nō autem Realis, quia quod de vna natura dicitur, alii re ipsa reali communicatione conuenire nō potest: sed tantūm propter hypostaticam vnionem ita loquimur. Ergo Vnitio seu Vnio hypostatica est non effusio essentialiū omnium, vel aliquarum Deitatis proprietatum in humanam naturam assumptam: non item realis earum communicatio à diuina natura in humanam facta (Manent enim proprietates & idiomata essentialia naturarū in Christo vnitarum ἀκροβάωσις) sed est duarū naturarū in vnus personæ substantiâ copulatio incōfusa, nec tamē vnquā dissolubilis & separāda. Ergo integra Deitas integram humanam naturam assumpsit in vnus personæ indiuiduitate. Nec est Vnio hypostatica cōtractus duarum illarū naturarum, vel partis vnus naturæ ad partem alterius colligatio, adhæsiō, vel cohærentiæ: neque naturarum ipsarum coextensio, aut in eodem loco situs & collocatio, sed vnus duntaxat ὑπὸς αὐτῆς indiuidua & indissolubilis cōstitutio & compages in personalitate λόγου subsistens.

CAP.



## CAP. XLVII.

*De EFFECTIS Vnionis hypostatica, seu  
de TRIPLICI κοινωσία specie, qua ex illa  
Vnione hypostatica duarum in Christo  
naturarum oritur.*



**H**ac autē Hypostatica Vnione duarum in Christo naturarum oritur κοινωσία seu communicatio, tanquam effectum ex sua causa, quæ non vnus speciei est, sed triplex.

Vna enim est ea, quam diximus, nimirum κοινωσία ιδιωμενων, quum quæ sunt vnus tantum naturæ propria, ac essentialia, tamē alteri naturæ in concreto seu vocabulo significante totam personam Christi tribuuntur, veluti quum dicitur Deus gloriæ crucifixus: non autē Deitas Christi crucifixa: quum dicitur hic Homo creasse mundum, non autem hæc Humanitas creasse mundum, & cætera similia. In abstractis enim vocabulis & naturis idem dici non potest. Ergo neque Deitas crucifixa dici potest: neque Humanitas Christi creatrix Mundi. Nam quum naturæ ipsæ in ea vnione manent inconfusæ, earum quoque idiomata & proprietates essentialis manent incommunicabiles, & inconfusæ. Ex quo fit, vt hæc prædicatione ratione quidem totius personæ sit Realis: ratione verò eius naturæ, de qua proprietas alterius naturæ essentialis enuntiatur, sit tantum Dialectica. Quamobrem & ἐναλλαγή & ἐπίτευξις

Cap. 47. ISAGOGES CHRISTIANAE

*ἁγιασμοῦ* appellatur, & ἀντίδοσις, & τὸ ἀνάπαυον, à Damasceno, alternatio nominum, & commutatio, & Gratia vnionis tantum, non autē gratia habitualis. Atque etiam sæpe ab eodē Damasceno περὶ χάριτος, quæ vox idem significat, atque ἀγαλλοματὶ ὀνομασίαν. Hæc ergo est vna species generalis illius Communicationis, quæ oritur ex Hypostatica vnione duarum in vna Christi persona naturarum.

Altera est, qua ἐνεργήματα seu ἀποτελέσματα Christi sūt communia naturis: etsi ipsæ naturarum singularum operationes & actiones tamen in eo opere manent cuiusque propriæ, & alteri incommunicatæ, veluti Nostra reconciliatio cum Deo est opus & ἀποτέλεσμα commune vtriusque naturæ Christi: sed tamen in eo opere natura quæque suas habet proprietates, & actiones alteri incommunicatas. Exempli gratia, Caro, seu humana Christi natura nos Deo reconciliauit, quoniam pœnas peccatis nostris debitas pertulit. Natura diuina nos reconciliauit, quoniam eam naturam, quæ patiebatur, sustentauit & viuificauit, ne periret iudicio Dei consumpta. Hæc dici potest κοινωνία ἀποτελέσματος, nō autem ἐνεργειῶν ipsarū.

Tertia Cōmunicatiōis species est, qua natura à λόγῳ assūpta præter idiomata naturalia & essentialia habet omnes & singulas, & quidē quātas maximas habere vlla creatura potest, gratias & dotes sibi inherentes, & habituales collatas à diuina natura, cui hypostaticè vnita est, veluti quod caro Christi, seu humana natura etiā in his terris erat sapientissima, & sanctissima, &

obsequentiſſima Deo; & nunc in cælis eadem eſt domina omniũ creaturarũ viſibilium & in-  
 uiſibiliũ, ſedet ſupra Angelos, & eſt venerabili  
 ipſis angelis maiestate ornata. Hæc Cõmuni-  
 catio *ἕνωσις* appellatur. Non tamen vt essen-  
 tialium Deitati idiomatum reiſa particeps  
 ſit caro Chriſti, veluti eſſentialis ipſius *λόγου*  
 omnipotentia, omniſcientia, maiestatis, &c.  
 ſed quòd creata dõna ( quæ longè differunt ab  
 eſſentialibus Deitatis *λόγῳ* idiomatibus ) ha-  
 beat quanta nulla alia creatura, vel etiam vni-  
 uerſæ ſimul collectæ habere poſſunt. Ergo  
 per hanc Vnionem hypoſtaticam natura Chri-  
 ſti aſſumpta habuit multa ſibi realiter à *λόγῳ*  
 communicata, partim *παρεφουſικά*, partim *ὑπερ-  
 φουſικά*: nulla tamen *ἀντιφουſικά* habet, vt quidam  
 tamè volunt, ſed perperam. Hæ ſunt tres Cõ-  
 municationis ſpecies, quæ ex Hypoſtatica V-  
 nione naturarum in Chriſto naſcuntur.

## CAP. XLVIII.

*Quinam errarint in diſputatione de Vnio-  
 ne Hypoſtatica Naturarum in vna  
 Chriſti perſona.*

**H**X quo fit, vt errarint in hac diſpu-  
 tatione, primũ Neſtoriani, qui  
 duas naturas in Chriſto duas per-  
 ſonas eſſe dixerunt: licet hominem  
 Deo dignitate exæquatum fuiſſe vellent, eſſe-  
 que illi aſſeſſorem, & comitem indiuiduum.

Errarunt item illis cõtrarii Eutychniani, qui



Cap. 49. ISAGOGES CHRISTIANAE  
& naturas & proprietates naturarum in Christo post resurrectionem confusas esse dixerunt, & vnam tantum diuinam esse & restare in Christo.

Errarunt Monophysitæ, qui licet duas naturas in Christo esse negarent, sed vnam tantum ex vtraque compositam fingerent: proprietates tamen duarum naturarum in Christo reliquerunt, concesseruntque.

Errarunt Monothelitæ, qui duas quidem naturas in vna Christi persona vnitas esse & permanere cõcedunt: sed earum proprietates tollunt & confundunt. Vnicam enim in Christo voluntatem, vnicam sapientiam, vnicam operationem &c. esse cõtendunt. Quæ omnes hæreses, sunt teterrimæ: verum tamen à quibusdã hoc nostro sæculo nihilominus reuocantur.

#### C A P. XLIX.

*De ANTICHRISTO: ac primùm de hac voce, Antichristus.*

**V**T melius adhuc Christi gloria intelligatur, ex opposito, Antichristi typum & descriptionem opponemus, quia contraria inter se collata magis illucescunt. Amplior tamen eius descriptio ex lib. Apoc. petenda erit, lib. Daniel. ca. 8. 2. Th. 2. v. 3. 4. 5. Nos autem hinc summa tantum capita perstringemus, cetera studiosus lector ex nostro libello de Antichristo colliget.

Græca vox est Antichristus *ἀντιχριστός*, nõ autem Latina, vt quidã existimant. Dictus enim  
est

est *ἀντίχριστος*, quia in cunctis cōtrarius est Christo, & ipsius Euangelio. Hoc enim significat vox *ἀντί*. Non est autem dictus Antichristus, quòd ante Christum venturus sit. quanquam ante vltimum Christi aduentum & veniet & patefiet, 2. Theff. 2. 1. Ioan. 4. v. 3. Daniel. 7. v. 8.

## CAP. L.

*Quis sit Antichristus.*

**I**s est in vniversum Antichristus, vt Ioannes definit, qui non confitetur Iesum Christum in carne venisse. 1. Ioan. 4. v. 3. 2. Ioan. 7. Item qui negat Iesum esse Christum. Itē, qui negat Patrem & Filium. 1. Ioan. 2. v. 22. In summa est Antichristus, qui aduersatur Christi doctrine. Porrò Christum, eiusque doctrinam negari dicere possumus multis diuersisque modis: idcirco plures sunt Antichristi. Neque verò nūc primū esse cœperūt, sed ab ipsis adēdō Apostolorum temporibus iam erant Antichristi, 1. Ioan. 2. v. 18. Siue enim quis omnino Christum apparuisse neget, aut negauerit: siue cum quidem venisse in mundum concedat, neget tamen Dei Filium esse, vel solum & verum mundi Redemptorē esse: vel officia illi à Deo Patre concessa detrahat, is Antichristus est. Antichristum autem (quem Paulus *ὁ ἀντίχριστος* appellauit 2. Theff. 2. v. 3) quem esse interpretari debeamus, multi quærun. Ac alii quidem

Cap. 50. ISAGOGES CHRISTIANAE

ad Romanos Imperatores, qui Ecclesiam Dei persecuti sunt, retulerunt, qualis fuit Nero, Domitianus, Maximinus truculentus. Alii vero ad vnum aliquem Roman. Pontificem, quem Papam vulgus hodie appellat, referri putant. Ac quidem certum est, qualis illic à Paulo Antichristus describitur, non vnam quãdam certam & singularem personã designari, sed statum & ordinem certum hominum, quorum mores, & doctrinam pestiferam in domo & templo Dei & quidem fucato Pastorum titulo qui in eo templo sedebunt, describit Paulus. Et quia quæ doctrina veritati verboque Dei maximè Ecclesiæ ac Pastorum titulo seu noie aduersatur, ea hodie in Papatu viget & recepta est, cuius caput est Papa Romanus: ideo omnes, qui eam doctrinam fouent & defendunt, Antichristos generaliter possumus nominare: verum inter omnes vnum illum insigniter maximè & *ὁ ἀρχιεπίσκοπος*, summum nẽpe istorum hominum cæius caput nempe Põtificem, seu Papam Romanum. Quemadmodum enim fœmina illa quæ suum venenum sparsura est, dicitur diserte super septẽ colles fessura esse, 1. Apo. 17. v. 9. ita Papa Romæ sedet, quæ Septicollis vrbs iam pridem appellata est, à qua omnis perniciosæ doctrinæ origo est. Antichristus dicitur esse viuificaturus imaginẽ primæ bestia, id est, Romani imperii Idololatrici. Apo. 13. Hoc ipsum fecit & Papa Romanus, & illius regni ratio, ac constitutio, vt in Antichristo nostro ostendimus. Præterea Antichristus Pastoris titulo in Ecclesia insignitur,



vt est apud Zach. Zach. II. v. 15. Sic Papa Romanus se vnicum verum Ecclesiæ pastorem esse, & cæterarum in eo cœtu principem & caput contendit. Denique quo magis ille se in Ecclesia pro capite ministeriali venditat, eo magis ac disertius in illum cadit ipsa Domini, & perpetui ac verè singularis Capitis nostri Iesu Christi cõminatio Matth. 29. 48, Quod si dixerit malus ille seruus in corde suo, &c. Si quis tamen plura de Papæ Romani & Antichristi collatione requirat, legat doctiss. Theologorum Henrici Bullingeri in Ioan. Apocalypsin, & Gualteri de hac ipsa re libellum, item nostrum. Etsi verò Papa Romanus *est Antichristus* Antichristus est, cæteri tamen Episcopi Papiæ & hæretici omnes sunt Antichristi, quam ore Christum confitentur, quia non agnoscunt eum velut caput, & qualis nobis in Euangelio proponitur, & depingitur. Et quicumque illius bestię signum retinent, & honorant, sunt etiam Antichristi.

## CAP. LI.

*Qualis sit Antichristus.*

Etsi diuersarũ rerũ & personarum figuris & nominib⁹ Antichristus solet à Scriptura sacra describi, tamen certæ quædam notæ colligendæ sunt, ex quibus facilius dignoscetur. Apud Danielem sub cornu figura proponitur. Daniel. 7. v. 8. item sub Antiochi, qui *emphatus* aut

Cap. 51. ISAGOGES CHRISTIANÆ

illuſtris cognominatus eſt, nomine, Daniel. ii. v. 15. In Apocalypſi autem Ioannis partim ſub Beſtiæ, partim etiã ſub Fœminæ nomine depiçtus eſt, Apoc. 13. v. 7. 17. v. 1. Quæ diverſæ res & figuræ non ſunt inutiles & ἀσυνάρτηται. Ergo his maximè notis Antichriſtiani regni caput imprimis à Chriſto & fideli quolibet homine diſcrepabit, ac diſſimile erit:

Nimirum & in	}	Doctrina	}	Superbi
		Moribus:		Blasphemi
qui in illo capite Antichriſto erunt	}	}	}	Crudeles
				Auari
				Diffoluti.

Ac primùm quantum ad doctrinam, quum ſub feræ Beſtiæ nomine proponatur Antichriſtus, ignarum S. Scripturæ eum, & eius factio- nis homines fore indoctos non ipſius quidem literæ, ſed ſenſus Scripturæ demonſtratur. Ne- que tamen quanquam indocti ſunt, & Scri- pturæ ſanctæ veræ mentis imperiti, deſinent Paſtorum titulo ornari, Zach. ii. v. 15. & in tem- plo Dei ſedere, 2. Theſſ. 2. v. 4. & doctrinam ſuam, id eſt, ſuarum traditionum molem ſpar- gere, quæ quia nocet animæ, meritò in Apoca- lypſi ea doctrina venenum appellatur, & pro- funda Satane, & à Paulo doctrina diabolorum 1. Tim. 4. v. 1. Apoc. 2. v. 24. 17. v. 4. Quòd ſi iſ libellus, qui inter opera Auguſtini extat, & eſt de Antichriſto inſcriptus, eius opus cēſeri de- bet, audiamus qualem fore Antichriſti doctri- nam ex Sacris Scripturis colligat. Antichriſtus,  
ait,

ait, legem Euangelicam dissipabit, reuocabit culturam dæmoniorum, id est, idolorum, peccatores magnificabit, id est, præferet iniquos quosque bonis & cordatis viris, socios habebit veneficos, magos, incantatores, diuinos.

Quātum ad mores, superbos fore Antichristos, eūque imprimis, qui *κατ' ἐξοχὴν*, quoniā eius cæterus caput est, Antichritus nominatur, indicat Antiochi regis comparatio & similitudo, adeò quidem vt tanta crepet insolentia verborum, & superbia, fastūque, vt se supra Deum, & omne numen esse persuadeat perfidus ille cum sociis. 2. Theff. 2. v. 4. Quæret autem gloriam suam, non gloriam Dei. Blasphemos & impios fore, iidem illi loci passim demonstrant. Crudeles item fore Antichristos ostendit feræ bestię truculentissimæ & cornutæ descriptio, sub qua depingitur. Cornu quoque violētiam denotat, quæ in illis hominib<sup>9</sup> inest. Sūt enim ii omnes sanguinarii, & miras in Dei filios pœnas exercent: vim habēt in imperio, dolū autē in miraculo. Per nefarias enim artes ad illud vanū & inane culmē, dominationēque venturus est Antichristus ille *κατ' ἐξοχὴν*, vt ait Aug. in Psa. 9. Falsam inquit, felicitatē diuitū ad decipiēdos homines ostentabit, & quęlibet supplicia irrogabit resistētibus sibi seruis Dei. Id quod rei euentus ac experientia docet in Pontificibus Romanis. Dissolutos denique & moribus fœdos ac avaros fore Antichristos, & eū imprimis, qui inter eos princeps est, ostēdit fœminę figura, & quòd ea mu-



Cap. 52. ISAGOGES CHRISTIANAE  
lier meretrix appellatur, sub cuius similitudi-  
ne describitur proculdubio Antichristus, A-  
pocalypf. 17. & 18.

C A P. LII.

*Quando erit Antichristus.*

**Q**Vando autem ille status Apostasie;  
vbi vnus *καὶ ἕξωλον* erit Antichri-  
stus, & imperiū in Dei Ecclesiā tyrā-  
nicum publicè vsurpabit, apparitu-  
rus sit, disertè & definitè Scriptura tradit, & ita  
quidē vt penè tēporis articulū ipsum expres-  
serit, quia nostra interest scire hæc temporum  
momenta, quamobrem non frustra quærimus  
aut conamur supputare illos annos. Est autem  
illud tēpus à tempore reuelationis factę Ioan-  
ni ad annum 666. sequentem Apoc. 13. v. 18. A-  
lii quidem ab Ascensione Domini ad vltimum  
eiusdem Christi aduentum quadringentos tā-  
rūm annos numerant, alii quingentos sex, alii  
nongentos nonaginta nouem, alii mille, alii  
bis mille, alii etiam aliquid amplius compleri  
oportere dixerant, antequam Antichristus ve-  
niat, quorum omnium falsa esse sententia ex  
ipsius rei euentu apparuit. Sed tempus verbo  
Dei præscriptum 666 annorum verum fuit, v-  
ti in nostro Antichristo cap. 8. docuimus.  
Omnes tamen eum fore & venturum esse ante  
secundum Christi aduentum consentiunt, &  
demum deficiente Romano imperio regna-  
turum

turum. Illud verò procul dubio nequaquã est Augustini quod in tractatu de Antichristo (qui inter eius opera extat) scriptum est. *Quãdiu Francorum reges regnauerint, & durauerint, qui Romanũ imperium tenere debent, Romana dignitas ex toto non peribit, quia in Regibus suis stabit, neque vltimus iste antichristus adueniet.* Nam mortuus est ante regnum Frãcorum Augustinus. Vixit enim sub Arcadio & Honorio. Franci noti sub Valentiniano. Romanum autẽ imperium primum acceperunt sub Nicephoro Imperatore Constantinopolitano, & Carolo Magno.

## CAP. LIII.

*ubi erit ANTICHRISTVS*

**R**EST in templo Dei, sed iam corrupto, sessurus Antichristus, 2. Thes. 2. & quidem Romæ non alibi. Nã est manifestè, Apoc. 17. expressum eum super septem montes habitaturum. Est autem Roma vrbs ab omnibus etiam profanis autoribus Septicollis dicta. Et post euersum vrbs Romæ splendorem illum sessurus est: quemadmodum euenit.

## CAP. LIIII.

*De SPIRITV SANCTO, seu de Deo Sanctificatore: ac primùm de hac voce, Spiritus Sanctus.*

**N**OTA hæc disputatio de Spiritu Sancto ad duo capita doctrinæ præcipua reuocatur: nempe ad doctrinam de ipso Spiritu Sancto, & de illius Operationibus. Primum igitur caput explicat vocem ipsam ac rationem nominis, tum rē ipsam. i. Spiritum Sanctum, qui est tertia S. & Beatæ, atque indiuiduæ Trinitatis Persona. Spiritus nomen ambiguū est & *πολύσημος*. Sæpè enim Spiritus pro aëte isto, quæ haurim<sup>9</sup> ore & narib<sup>9</sup>, accipitur, Isa. 2. v. 22. sæpè pro vêtito, sæpè pro anima hominis. Dicitur etiã mens ipsa rationalis, quæ est in homine, Spiritus. Dicitur Deus ipse, atq; virtus eius essentialis, quæ omnia vegetat, viuificat, sustinet, dirigit. Denique videtur tam ambigua apud Latinos nominis huius (*Spiritus*) significatio, quàm est apud Hebræos vocis huius *רוח*. Omnis enim vis interna in nobis efficaciter agens & latens vitæ etiam occulta dicitur Spiritus, ab Hebræis Ruach. Apud Græcos autem videntur hæc tam varia significata aptius distingui posse, quòd, vt putat Augustinus, apud eos confundi non soleant, imprimis autem apud Scriptores Ecclesiasticos duæ hæ voces *πνοή* & *πνεύμα*. *πνοή* autem ad omnia ea Spiritus significata pertinet, quæ vel aërem, vel vitam hanc communem denotant: *πνεύμα* verò ad ea solum, quæ vel hominis animum & mentem, vel Spiritum Dei, vel Deum ipsum significant. Et hæc quidem Spiritus ambigua & lata significatio est. Proprio autem quodam modo Spiritus Sanctus dicitur Spi-



tur *Spiritus*, velut author omnis virtutis ac efficacitatis in rebus creatis, & efficacitas seu causa efficacitatis in rebus omnibus. Secundū quod igitur refertur ad res creatas, *Spiritus Sancti* actio dicitur *Spiritus*. Nam si secundū essentiam consideratur *Deus*, quoniam dictū est *Ioan. 4. Deus est Spiritus, & Pater Spiritus est, & Filius est Spiritus, & ipse Spiritus Sanctus Spiritus: nec tamē tres Spiritus, sed vnus, sicut non tres Dii, sed vnus.* Propriam igitur quandā rationē huius nominis habet in sacris literis *Spiritus Sanctus* vt dicatur *Spiritus Sanctus*, quod ita eum vocari oportuit, qui non est *Pater* vel *Filius*, sed in quo virtus, potentia, & cōmunitas apparet amborum, & à quo rerum omniū creatarū efficacitas omnis infunditur. Itaque *Spiritus* dicitur κατ' ἑξοχην. Simplex autē est *Spiritus Sanctus*, etsi nomine composito appellatur *Spiritus Sanctus*, vt *Respublica*, cuius est simplex notio, vt *Dialectici* loquūtur, licet ipsum nomen sit compositum. Nam idcirco simplex est *Spiritus Sanctus*, quia quod est de simplici bono pariter simplex est, & hoc est, quod est illud, de quo est. *Sanctus* autem appellatur à præcipua & excellentiore ipsius actione in rebus creatis. *Sāctificat* enim qui sunt sancti. *Spiritus Sāctus* autem de *Deo Patre & Filio* procedit, quod est simplex bonum. Alius quidem est, quàm *Pater & Filius*, non tamen aliud, quia & hic *Spiritus Sanctus* simplex pariter, imò simplicissimus bonumque æternum est, & incommunicabile, & hæc

Trinitas est vnus Deus.

C A P. LV.

*Qui in disputatione de Spiritu  
Sancto errarint.*



IC autem, quemadmodum in disputatione de Deo Filio, à variis est erratum, quia recessu est à Verbo Dei.

- 1 Ac primùm Sabelliani peccant, qui putant eundem esse Spiritum Sanctum, & Patrem.
- 2 Mæcedoniani, quorum alii dixerunt Spiritum Sanctum esse spirituales Dei gratias, quæ nobis dantur, qualis fides, spes, charitas, agnitio veritatis, i. esse merè qualitates creatas.
- 3 Alii Spiritum Sanctum volunt esse creaturam & Angelum Dei.
- 4 Seruetistæ dicunt Spiritum Sanctum esse vim illam, quæ à Deo rebus singulis infusa est, per quam mouentur, & vegetantur, quæ Phisici *naturam* appellant. Itaque qui pars sit naturæ singularum rerum. Hoc fuit antea Manichæorum delirium.
- 5 Quidam dicunt Spiritum Sanctum esse solius Filii ministrum. Verùm nusquam legitur subditus Filio, aut inferior, sed est Spiritus Sanctus eiusdem essentiæ, non participatione, sed essentia, non dono alicuius superioris, sed suo proprio, suæque natura.

6. Eusebius vir alioquin egregius in eo erravit, quod putarit Spiritum Sanctum ignorasse mysterium natiuitatis Christi, ac proinde eum à Deo degeneré finxit Eusebius, quomodo natura inferior ignorat, quod est in potentiore, ait Augustinus. Sed fuit etiam hoc mysterium incarnationis & natiuitatis Christi op<sup>o</sup> ipsius Spiritus Sacti, vt ab eo ignorari nō potuerit.

## CAP. LVI.

*Quod Spiritus Sanctus sit Deus.*

Mnis igitur hic tractatus, & disputatio, quæ de Spiritu Sancto instituitur, in duo summa capita distribui potest, vt diximus, nempe hæc,

Primum vt { Ipso Spiritu Sancto, postea  
agatur de { Operatione eius.

Ac quia definiiri non potest, quid sit Spiritus Sactus, videamus quod restat. Cōstat quidem eum esse nō qualitatem in nobis, nō motum, non rem creatam, sed essentialem ipsam Dei virtutem, quæ licet per omnia sit diffusa, in ipso tamen Deo residet, & licet cum Patre & Filio sit *quærens*, personam tamen ab utroque habet distinctam:

quia { Ab utroque procedit,  
{ Mittitur in corda fideiū, quæ Christi sanguine sanctificat & mūdatur, vt in eis inchoetur vita eterna. Vnde hic Spirit<sup>o</sup> ppriè appellatur Sanctus à præcipuo opere suo, sicut diximus.

Restat igitur videndum quomodo Deus



Cap. 56. ISAGOGES CHRISTIANAE

esse probetur Spiritus Sanctus, tum quæ propria eius vis & actio siue operatio sit, vt ab vtroque & Patre & Filio postea distingui facile queat.

Ac primùm quidem esse Spiritū S. Deum probant infiniti penè Sacræ Scripturæ loci, ex quibus in iuniorum gratiam aliquot tantùm colligemus. Ex Veteri Testamento sunt hi:

Primus est Gen. 1. 2. vbi mundi creatio etiam Spiritui Dei Sancto tribuitur: dicitur enim fouisse aquas supereminentes ante aliarum rerū creationem seu dispositionem. Secundus est Isa. 63. v. 10. vbi, quòd alibi dicitur populus Israel irritasse Deum, ibi irritasse Spiritum Sanctum Dei aperitè tribuitur. Tertius est ex Ioel. 2. v. 28. vbi ita ait Deus, effūdā de Spiritu meo. Nihil autem de se dare potest Deus, quod non sit Deus. Quartus Isa. 59. v. 21. Mittit Prophetas.

Ex nouo verò Testamento hi sunt:

Matth. 28. v. 19. Docentes, baptizate in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti. Ioan. 14. vers. 17. & 26. Actor. 5. v. 3. 1. Cor. 6. v. 19. & 20. 2. Cor. 13. v. 13.

Imprimis autem conferendi sunt ii loci, qui sunt inter se similes, in quibus quod alibi tribuitur Deo, idem dicitur de Spiritu Sancto. Fides igitur recta hæc est, Spiritum Sanctum esse Deum. Patres perpetuam quandam regulam in hoc argumento statuunt, nempe hanc, *Quorum sunt eadem operationes, eorum quoque eadē est essentia.* Atqui siue Creationē rerū, siue Redēptionē generis humani spectes, idē op<sup>o</sup>, quod

quod Patri & Filio tribuitur, tribuitur Spiritui Sancto. Quamobrem eiusdem est essentiae cum Patre & Filio Spiritus Sanctus. Opus Creationis Spiritui Sancto tribuitur, Gen. 1. & Psal. 33. Opus Sustentationis & Conseruationis quoque rerum eidem Spiritui tribuitur Psal. 104. v. 30. Opus denique Salutis ac Redemptionis. 1. Pet. 1. v. 2. 2. Cor. 13. Ergo & Spiritus quoque Sanctus est Deus. Sunt enim haec omnia solius Dei opera. Porro scripserunt de hoc argumento varii, veluti Athanasius Dialogum quintum aduersus Arrianos, Basilii Dialog. quintum aduersus Eunomium. Didymus libros tres, quos transtulit Hieronymus, Cyrillus in Thesauro & dialogis, & alii plerique. Didymus lib. 2. *In Patre est, ait, causa efficiens nostra salutis: in Filio est materia, in Spiritu S. causa operans & applicans nobis dona Patris in Christo.* Denique de adoratione religiosa, quae Spiritui Sancto à viris sanctis exhibita est, extat pulcherrimus locus Isa. 48. v. 16. Eum enim, ut Deum, inuocarunt Prophetæ, à quo se missos esse sciebant, alioqui non fuisset eorum uocatio à Deo, si ab alio mitteretur. & 2. Cor. 13. ubi Spiritus Sanctus à Paulo sicut & Pater, & Filius inuocatur. Ergo Spiritus Sanctus est Deus. Solus enim is qui Deus est, à Prophetis & Apostolis inuocatur. Cæterum distinguitur Spiritus Sanctus à Patre & Filio, quoniam ab utroque ipse procedit, tanquam ab vno, & eodem principio in duabus tantum Personis subsistente, non autem tanquam à duobus ac diuersis principiis. Est enim vna & eadem, ut aiunt, spiratio Patris,

Cap. 56. ISAGOGES CHRISTIANAE  
& Filii in Spiritu Sancto producendo, & ille  
ex utroque tanquam ex vno fonte emanat, ac  
procedit. Quo fit, vt damnanda sit Græcorum  
posteriorum sententia, qui contentiosè defen-  
dunt, Spiritum Sanctum magis ac principalius  
ex Patre, quàm ex Filio procedere. Itaque di-  
cunt eum ex Patre per Filium, non autem ex  
Patre & Filio emanare. De qua contentiosè  
quæstiones extant cum apud Lomb. lib. I. Di-  
stin. II. & 13. & ante eum apud Anselmum in Mo-  
nologio: tum in Synodo Ferrariensi & Florén-  
tina. Quamobrem quum ab utroque procedat  
Spiritus Sanctus, neque est Pater, neque Fi-  
lius (neque enim quicquã à se ipso emanat) sed  
ab utroque. vtriusque Persona distinctus, &  
alius. Neque tamen Spiritus Sanctus propter  
ea dici potest Filius vel Patris, vel Filii, vel  
vtriusque. Nam est diuersa prorsus emanatio-  
nis ratio, quã Filius ex Patre, & Spiritus San-  
ctus ex Patre & Filio procedit. Filius ex Patre  
per modum naturalis ac essentialis verbi, ac  
imaginis, ac proinde generationis emanat. Vn-  
de genitus ab eo dicitur, ac proinde Filius: ve-  
rum Spiritus Sanctus ex utroque est per mo-  
dum virtutis essentialis & æternæ ac in seipso  
reflexæ volûtatis seu dilectionis procedit, vn-  
de neque genitus, neque Filius Patris & Filii  
dicitur Spiritus Sanctus. Modos autem istos,  
per quos hæc Deitatis opera interna distin-  
guuntur, curiosius inquirere & explicare est  
non modo *superfluum*, sed etiam eum quadã blas-  
phemia coniunctum, quasi nosser intellectus,  
qui est finitus, Deum infinitum comprehen-  
dere



dere possit, seseque illi exæquare velit, licet de hoc ipso multis paginis inter se Scholastici, sed tandem frustra, ut apparet, rixentur.

## C A P. L V I I.

*Proprii Spiritui Sancto tituli quidam & appellationes.*

**V**O melius autem atque facilius distingui à Patre & Filio Spiritus Sanctus possit, & ratio Operationum ipsius comprehend, quæ illi tribuuntur, explicandi sunt tituli quidam & appellationes, quæ passim in Scripturis Sacris occurrunt, & ex quibus propria Spiritus Sancti ratio intelligi potest. Ac primum quidem est, Quod Spiritus S. de Patre & Filio procedere dicitur, uti diximus. Quid autem intersit inter Procedere & Genitum esse seu Nasci, lógum est differere, & temerarium definire, ut putat Augustinus. Quidam autem vim nullam in his verbis faciendam aut collocandam putant, quæ à Patribus diuersa usurpata existimant ad maiorem tantum Filii & Spiritus Sancti distinctionem, ne duæ illæ personæ in Trinitate confundi viderentur, si de Filio & Spiritu Sancto una & eadem hæc nascendi vox diceretur. Cæterum vocem Procedendi etiam in Scholis de emanatione Filii à Patre in diuinis usurpari docet Thomas in l. 2. Quæst. 27. Itaque de Filio dixerunt, genitus est de Patre: de Spiritu Sancto autem, procedit de Filio & Patre. Er-

Cap. 57. ISAGOGES CHRISTIANAE

go utcumque sit distinctæ sunt hæ tres Personæ inter se, & propterea Spiritum Sanctum nõ dicimus genitum de Patre, ne duos Filios credere videamur. Neque item eum de Filio genitum dicimus, ne censeamur constituere eum nepotem summi Patris. Non item dicimus eum ingentum, ne duos Patres in Trinitate affirmare videamur, sed est ab utroque, & Patre & Filio, ut probatur Ioan. 15. v. 26. Isa. 11. v. 4. 2. Thess. 2. v. 8. Ioan. 20. v. 22. Idque ex eo apparet, quod passim & indiscriminatim Spiritus Dei Spiritus Patris, & Spiritus Christi nominatur. Rom. 8. v. 9. 11. 14. Vnus autem est ille Spiritus. Ephe. 4. v. 4.

Item hic Spiritus dicitur Sanctificator, & Spiritus Sanctificationis, à qua ceu præcipuo suo in piis ac fidelibus opere est denominatus Spiritus Sanctus. Ergo nos sanguine Christi lauat, & purgat cõscientias nostras, atque Deo consecrat, & sanctificat Spiritus Sanctus. Rõ. 1. v. 4. Heb. 13. v. 12. 1. Pet. 1. v. 2. Rõ. 5. v. 5. Per Fidem enim, per quam Christus apprehenditur, purificat corda nostra, ut placeat Deo. Act. 15. v. 19. Est itaque Spiritus Sanctus is, qui applicat nobis Patris & Christi beneficia omnia ad salutem: ac propterea in nobis gignit per externam verbi Dei prædicationem, & Sacramenta, velut per externa instrumenta, fidem cuius ipse autor est.

Dicitur Spiritus Viuificans. Nam & animã & corpus viuificat idem Spiritus Dei in nobis. Materia vitæ æternæ est in Christo, cuius in nobis est applicator Spiritus. Materia vitæ terrenæ

terrenæ sunt cibi, quibus dat Spiritus vires quibus vegetemur, Gen. 1.v.2.2. Corint. 3.v.6. Deus enim Spiritu suo corpora nostra sustinet, & animos nostros corroborat.

Spiritus Adoptionis quoque dicitur, Rom. 8.v.15. quia testatur nos esse Dei Filios interno quodam motu & consolatione, quæ in conscientia nostris sentitur, quæque facit, vt fidenter clamemus ad Deum, Abba Pater.

Spiritus Cōsolator Ioan. 15.v.26. Quod Paracletus dicitur Spiritus Sanctus proprietas operationis eius exprimitur. August. Serm. 194. De Tem. quia & mœstis & afflictis pro nomine Dei magnam consolationem affert, facitque vt & velint & possint pro nomine Iesu pati.

Dicitur Spiritus Veritatis Ioan. 14.v.17. & 16.v.13. & opponitur Diabolo Ioan. 8.v.44.

Dicitur hic idem Spiritus etiam Charitas, siue Spiritus charitatis, fidei, sapientiæ, discretionis, libertatis, fortitudinis, quia vnus hic Spiritus Dei omnes has virtutes in nos confert pro ea mensura qua vult, nō quod ipse sit Charitas & fides in nobis. i. qualitates illæ creatæ, vt quidam tamē Scholastici imprimisque Lombardus putant. Omnes autem hæc virtutes ad Ecclesiæ Dei ædificationem pertinet, 1. Thess. 5.v.14. Eph. 1.v.17. 4.v.8. 1. Cor. 2.

Est autem Spiritus Sanctus autor omnium istorum in nobis donorum, & gratiarum, quæ nobis sunt vel ad corpus, vel ad animum salutare. Dicitur nos deducere in omnem veritatem. Nam ille propriè docet nos & creat in



Cap. 58. ISAGOGES CHRISTIANAE

nobis fidem. Pastores autem & doctores sunt tantum externa illius instrumenta atque ad-  
ministri. Sed etiam idem hic Spiritus saepe sub quibusdam rerum figuris proponitur, appella-  
turque metaphoricè Ignis, aqua, oleum, ut magis vis eius quæ scitur à nobis intelligatur ha-  
rum rerum notissimarum nomine & compa-  
ratione. Calu. lib. 3. Instit. cap. 1. sect. 3.

CAP. LVIII.

De SPIRITVS SANCTI propria  
Operatione.

**B**ernardus Serm. 3. de Festo Pente-  
costes ait, Datur Spiritus Sanctus  
ad usum vitæ bonis & malis, & ad  
miracula, ut signa fiant, Ad salutem  
solis electis: eisdem etiam ad auxilium in lucta  
cum carne, & ad feruorem & zelum, ut vehe-  
mentem charitatem habeamus. Cæterum ope-  
ratio ista Sancti Spiritus sic est intelligenda il-  
lius propria, ut tamen ἀποτέλεσμα & effectum i-  
psius esse totius Trinitatis commune opus  
sciamus, velut quod dona dare dicitur, 1. Cor.  
12. Quisquis enim negat cooperatorem Patrem  
& Filium, non rectè sapit, August. in Matth.  
Serm. 11.

Operatio verò  
Spiritus Sancti  
in vniuersum  
est triplex: alia

{ Generalis, quæ cōmuniter  
& Electis & Hypocritis da-  
tur:  
Specialis, quæ solis Electis  
Dei confertur:  
Particularis, quæ datur iis  
duntaxat, qui miracula edūt.

Ac de Generali quidem primùm est dicendum, cuius hinc exempla tantùm quædam proponemus. Et primùm quidem Spiritus Sanctus, quâ Deus, est vbique: alioqui non esset Deus. Sed quatenus illa Persona appellatur siue consideratur vt Spiritus Sanctus sanctificans, est in solis electis. in quibus inest quoque dupliciter, doctrinæ liquidioris gratia, nempe, nondum habitans & habitâs, vt ait August. Aliter agit operaturque Spiritus Sanctus iam inhabitans: aliter autem nondum habitans & in iis manens. Nondum enim habitans præparat nos. i. mutat nos, & facit vt fidem suscipere possimus: habitans autem & creat fidem, & alit, fouetque. Spiritus Sâcti igitur opus est, sanctificare, sanctos custodire, qui ceciderunt ad pristinum statum reuocare, ignorantés docere, peccantes arguere, pigros hortari, & nos illuminare, super omnia fidé & charitaté præbere, & vnumquemque in quo opere & proposito suggerere ipse voluerit, ordinare. Per Spiritum Sanctum & zelum consideratum & fortitudinem animi accipimus, per quam non stipites, sed prouidi simus, neque vt magis delictis immergamur, sed vt emergamus. Neque quisquâ qui perniciosis conatibus audet exercere vires, robur, vel industriam suam, habet iuuamen à Spiritu Sancto, quia neminem vult fraudibus studere, aut malè agere, neque consiliarius ei est, qui ad fraudulentas victorias tendit, & qui per illicitos conatus tentat triumphare. Ordine quoque suo, non nostro autem

Cap. 58. ISAGOGES CHRISTIANAE

arbitratu virtus & vis Spiritus Sancti operatur & administrat sua dona. Item Spiritus Sanctus operatur intrinsecus, vt valeat spiritualis medicina, & exhortatio & praedicatione in animo, & quod adhibetur extrinsecus. Nisi enim adsit Doctor ille internus & intrinsecus, otiosus est sermo doctoris externi seu extrinseci, & eius lingua in vacuum laborat. Vnde Christiani ac fideles dicuntur *Sancti Doctores*, id est, à Deo edocti Isa. 54. v. 13. Ioan. 6. v. 46. Nemo igitur homini docenti tribuat, quando quis intus ex ore docentis intelligit. Est enim illud proprium Spiritus Sancti opus, non autem hominis nos erudientis. In quo ipso quoque Spiritus Sancti opere, nimirum dum nos pietatem docet, aut aliquo virtutis sensu & notitia instruit & afficit, est distinguenda generalis ipsius operatio à particulari seu ea, qua peculiariter agit in electis, & verè piis. Nam illa generalis cognitio veritatis caelestis quae Dei verbo continetur, vel rerum honestarum ac virtutis, est saepe generale donum Spiritus: atque vt animus & affectus tēdat aspirētq; ad eas virtutes quae humanam societatem imprimis cohonestat, aut saltē à vitiis illis oppositis abstinatur, datur etiam hypocritis, reprobis, ac multis infidelibus, veluti Scipioni. Nam nouerat ille continentiam ab aliena vxore & sponsa esse virtutem bono viro sectandam, & ab aliena vxore abstinet. Verum propter hanc generalem veritatis notitiam, vel affectum ad huiusmodi virtutes non regenerantur illi, licet hoc donum à Deo habeant.

Nemo



Nemo enim dicit absque Spiritu Dei Iesum esse vel Christum, vel Dominum. 1. Corinth. 12. Omne bonum donū est à Patre luminum, Iacob. 1. v. 17. Multi in nomine Christi, virtute sibi à Spiritu Sancto data, fecerunt miracula, quibus tamen dicit Christus, ultimo illo die, *Non novi vos*, Matt. 7. Ergo quædam est communis notitia etiam ipsius veritatis seu adumbratio veræ pietatis, ac virtutis, quæ etiã à Spiritu Sancto datur infidelibus, hypocritis, & reprobis, quæ caret dono & Spiritu Regenerationis. Et hæc est generalis operatio Spiritus Sancti. Ut enim sol non calefacit quicquid illustrat, ita nec Spiritus Sãctus regenerat, quoscunque illuminat. Verũm illa, quæ ab eodem datur verè piis & fidelibus notitia eiusdẽ veritatis ac virtutis, semper cum dono regenerationis est coniuncta. Et hæc est specialis Sãcti Spiritus operatio in fidelibus, & singulare quod electis seponitur donum. Specialis quoque est illa Spiritus actio, ut docet August. in Matth. Serm. 11. quòd in illo vno Spiritu tota Ecclesia est, non tantũm est societas vna, & cœtus vnus: sed etiã vnum velut corpus, quod vna anima regitur, Act. 4. v. 32. Eph. 4. v. 3.

De Particulari denique Spiritus Sancti Operatione etiam hęc aliquot tantũm exempla afferemus. Ac primum sit hoc, quòd Spiritus Sanctus in linguis super Apostolos apparuit, & confedit, vnde factum est, ut vnusquisque Apostolorum lingua omnium gentium loqueretur, atque etiam ostenderetur inde per

Cap. 58. ISAGOGES CHRISTIANAE

totū terrarū orbē diffusam & sparsam iri Eu-  
 angelii prædicationē. Itē sub columbæ specie  
 S. Sanctus apparuit, non quòd tamen Spiritus  
 Sancti substantia in columbā sit transmutata,  
 sicuti neque verbi Dei substantia in carnē est  
 transformata & versa: sed S. Sanctus columbæ  
 corp<sup>o</sup> (quod illi tāquā Deo oīpotēti fuit faci-  
 limū) cōdidit ad momentū illud, in quo signo  
 se foris hominū oculis exhibuit, Ipse inuisibi-  
 lis in Essentia. Et quòd ignis apparuit, ait Au-  
 gustinus, insinuabat, quòd per eū Pater & Fi-  
 lius peccata cōsumāt, & in sui amorē hominū  
 corda accendāt. Quòd autē sub colūbæ specie  
 apparuit, ostēdit se hominibus animū placidū,  
 quietū, simplicē, & spīritualia diligētē dare: itē  
 se auferre à nobis cor ferreū, immittere autem  
 carneū, molle, docile, atque obsequens præce-  
 ptis Dei, Ezech. II. v. 19. Non fuit autem fallax ea  
 visio colūbæ. Mat. 3. v. 16, neque fallum corpus  
 colūba habuit. Mēiri enim nō potest Sp. Dei.  
 Diuina tamē Trinitatis substantia manebat in  
 seipsa, quæ se pro captu hominū demonstrabat.  
 Fuit igitur colūba præsentia S. Sancti visibile  
 signū, & certissimū Sacramētū, atque testimo-  
 niū. Quū autē S. Sāctus in colūbæ specie appa-  
 ruit, nō sic colūbā S. Sāctus assūpsit, quē ad mo-  
 dū Filius Dei hominē, qui in æternū perman-  
 et. Neque enim humanitas à Christo sumpta  
 est ad tēpus, sed perpetuò cū diuina natura iū-  
 cta vnitaque permanet. vndē S. Sanctus nō po-  
 test dici Deus & colūba, vel Deus & ignis,  
 quemadmodum Filius dicitur Deus & homo.

Quia

Quia hominis forma & natura Filio adhæret inseparabiliter, & perpetuò. Columbæ autem forma Spiritui Sãcto separabiliter, & ad tempus tantum. Variæ autem formæ, quibus diuersis temporibus datus est Apostolis, tria officia demonstrant. Nam quum insufflatione daretur Apostolis Ioan. 20. Illa donatio denotabat ius Ecclesiasticum, ait August. ex eo quod additum est à Christo, *quorum tenueritis peccata* &c. Hoc ius propriè est in Presbyterorum & Episcoporum officiis, ad regendos pios homines, & Ecclesiam continentam in metu Dei.

Secundùm autè datus in die Pētecostes linguæ forma, Act. 2. Apostolis, denotat generales Spiritus Sancti gratias in totã Ecclesiam, & singula eius membra.

Quod autè datus erat primò solis Apostolis cū ordinaretur, Luc. 9. & 10. Mat. 10. nimirum ab initio, eo factum est, vt signa illa & virtutes ederent ad semina fidèi iacienda, cuius rei vsus hodie desit quia iacta sūt Euāgelii fundamēta. Duæ autem priores significationes etiam non hodie ad vsu Ecclesiæ manēt: quanquã & istæ diuersę vices nõ ita exacte dispungēde videātur.

## C A P. L I X.

*Qui habent habuerintve Spiritu Sanctum.*

**A**Tque etiam vt adhuc melius Operatio Spiritus Sancti intelligatur, videndum est, Quinam cum olim habuerint, quique nunc cum habere possint. Ac quidem



Cap. 59. ISAGOGES CHRISTIANAE

Habere eum { Infantes,  
possunt { Ætate prouectiores fideles:

Habuere { Primùm fideles omnes genera-  
autem { liter die Pentecostes:  
          { Specialiter au { Prophetę ante  
          { tem { aduētū Christi:  
                  { Apostoli post  
                  { aduētū Christi.

Ac primùm Spiritum Sanctum habere est me-  
rum Dei donum, non naturæ nostræ, superat-  
que naturam perfectionis humanæ, quæ ex se  
habere & assequi eum non potest. Ioan. 3. v. 8.  
Quum dicitur autem haberi à nobis Spiritus  
Sanctus, & nobis dari, illud de ipsius donis  
duntaxat ac affectis in nos ab eo collatis intel-  
ligendum est, non autem de illa ipsa Spiritus  
Sæcti Persona, quasi ad nos mittatur, & in no-  
bis comprehendatur concludaturque vt tamẽ  
putat insulsissimè Lomb. lib. 1. Dist. 14. contra  
August. lib. 2. Trinit. cap. 5. Didymus libr. 3. de  
Spiritu Sancto.

Quæsitum est igitur de Infantibus. An Spi-  
ritum Sanctum habere possint, non quidem  
omnes, sed ii fidelium infantes, qui sunt ab æ-  
terno electi ad salutem? Et responder August-  
stinus epist. 57. eos habere Spiritum Sanctum,  
quanquam se habere nesciant, sicut & men-  
tem & rationem iidem habent, quamuis se ne-  
sciant eam habere, quia ea uti nõdum possunt,  
verùm est in iis potentia, quæ postea in actum  
exhibet.

exibit, seseque exeret, velut scintilla sopita, quæ excitanda est ætatis accessu. Itaque in iis agit Spiritus Sanctus occultè, vt sint templū Dei, & perficit, licet min⁹ intelligētīe habeat, si antè decesserint, quàm ad spiritualem mentis ætatem accesserint. Sunt enim in corpore Christi, fidemque pro suo modo & mensura habēt, ait ille. De hoc ipso vide postea nostrā disputationem de Baptismo infra.

Quæsitum est de ætate prouectioribus hominibus: quinam Spiritum Sanctum habeāt. Respondendum est, hos omnes etiā hoc tempore, qui vero animo, non per hypocrisim credant. i. qui venerari æternum Deum, qui verè mundo renuntiare, qui seriò vitæ emendationi studere ex Dei verbo & fide vera didicerūt. Eos enim dico Spiritū Sanctū habere. Denique qui verè sunt de doctrina Euangelii edocti, hi (vt i. Ioan. 2. v. 20. & 27. apparet) habent Spiritum Sanctum, si in eam verè credunt. Nemo verò extra Dei Ecclesiam Sanctum Spiritum illū, qui propriè Sāctus dicitur, potest accipere, sed quicumque habet eum, is in Ecclesia saltem inuisibilī sit oportet: sed & in visibili quoque si qua est, non autē foris, id est, extra eam Ecclesiam, quæ Christi corpus est. Nec enim cuiquam extra Christum propriè datur Spiritus Sanctus. Neque enim diuinæ charitatis particeps esse potest, qui est vnitaris Ecclesie & Christi hominis. Verè autem, non fictè in Ecclesia sit oportet, qui verè & ad salutem habet Spiritum Sanctum. Denique sit ex eorum numero de quibus i. Ioan. 2. v. 27. dicitur eos accepisse verā spiritualemque vnctionē.

Cap. 59. ISAGOGES CHRISTIANAE

Quicumque enim eam habent, aut acceperunt, iidem quoque habent, acceperuntque Spiritum Sanctum. Caterum piis & fidelibus hominibus datur ad quandam mensuram, soli vero Christo ad plenitudinem datus est, Col. 2. v. 9. Ioan. 1. v. 14. Eph. 4. v. 7. non quod ipse Spiritus diuidatur, sed dona ipsa per Spiritum sunt diuersa. Nam diuisiones donationum sunt, idem autem Spiritus. 1. Cor. 12. v. 11.

De Apostolis quaesitum est, an habuerint Spiritum Sanctum, quum adhuc cum Christo versarentur, quia dicitur eos tunc temporis Spiritum nondum accepisse, nondum regnum Dei intellexisse. Ioan. 7. v. 39. Responsio. Spiritus Scum iis fuit, quia electi erant a Deo, & fideles erant, & ubi est vera fides in Christum, ibi Spiritus quoque Dei adest. Sunt enim haec duo inseparabilia, sed varia sunt Spiritus dona & in diuersis, & in vno etiam, ac eodem homine. Nam ea sunt modo minora, modo maiora & vberiora. Et quod quidam excipiunt, Ignorabant Apostoli tunc, quale esset Regnum Christi. Resp. Rem non ignorabant, sed modum rei, id est, & hunc esse Christum, & Regem sciebant, sed nondum explicatè, qua ratione mundum seruaret & in Mundo regnaret. Sic nos scimus fore nouum seculum & rerum statum post resurrectionem, sed ignoramus illius rationem & modum. Itaque Spiritum inuisibiliter habebant Apostoli, et si tamen postea a bis iisdem datus est visibiliter, semel post resurrectionem, Ioan. 20. postea post ascensionem Actor. 2. id est, datus est illis, qui iam inuisibiliter eum habebant, manifestè. Nam ante v-

trunque



trumque tempus, & ante Christi mortē erat in iis Spiritus Sancti donum. Matt. 16. v. 17. Ioan. 11. v. 27. Habebāt igitur Apostoli Spiritū Sanctū, & non habebant, inquit Augustinus, Non habebant eo tempore quo cum Christo erant, quia quantum habendus erat, non habebant. Habebant autem, sed utique minus, quia dandus erat illis amplius. Habebant occultē, accepturi erant manifestē. Porrò quum datus est Apostolis, aut aliis Spiritus Sanctus, tunc nō in vno Paulo, nō in vno Petro, ut Cathaphryges sentiūt, fuit totus: sed & pluribus, & idem omnibus datus est Spiritus.

Quæsitum est de iis, qui post Christi aduentum, sed ante Christi mortem vixerunt, & fuerunt, quales ii, qui etiam ab Apostolis sunt baptizati sub Christo. Ioan. 4. v. 2. vtrum Spiritum Sanctum acceperint. Respondendum est, Qui inter eos verē fideles erant, Spiritū Sanctum acceperunt, sed ante Domini clarificationem semper latenter vel tenuius eum acceperunt homines, Ioann. 11. v. 27. Post ascensionem autem Domini in cælū cœpit manifestē dari, & Apostolis, & illo tēpore aliis, ita quidē ut omnes eum datum esse faterentur. Isa. 44. v. 3. Ioel. 2. v. 28. Actor. 2. v. 17. 8. v. 19.

Denique quæsitum est de Prophetis, & iis qui ante Christi aduentum vixerūt, & mortui sunt, vtrum illi quoque Spiritum Sanctū habuerint. Responso est, Spiritum Sanctū fuisse quoq; in Prophetis Dei, & omnibus sanctis electis, & iustis viris, qui vixerūt ante Christū. Ac in Prophetis quidem etiam propter dispē

fationem & administrationem muneris eorum abundantius. i. propter eorum vocationem. 2. Tim. 3. v. 16. Iſa. 59. v. 21. Nam quæ Prophetæ Dei dixerunt, ea Spiritu Dei seu Christi impulsu locuti sunt. 1. Pet. 1. v. 11. 2. Pet. 1. v. 21. In aliis autem singulis electis, & viris piis ante Christi aduentum causa sanctificationis fuit vix fides atque pœnitentiam à Mundi initio seu exordio in iis crearet. Sed post Christi aduentum iuxta Ioelis prophetiam, Ioel. 2. v. 28. Spiritus Sancti dona Ecclesiæ maiora atque vberiora profudit & quasi prodegit Deus. Alius tamen Spiritus nobis non est datus, alius autē illis antiquis patribus, sed vtrisque vnus & idem, quāquam quod ad Ecclesiæ generalem dispensationem attinet, non eadem mensura vtrisque dat' est, Iohn. 1. v. 17. Matt. 11. v. 11.

C A P. LX.

*De PECCATO IN Spiritum Sanctum.*

**H**AC quæstione nulla in S. Scriptura maior est, aut difficilior, inquit Augustin' in Matt. Serm. 81. Quid sit Peccatū in Spiritū Sāctū: tamē quia generaliter dicit Christus, Qui verbū dixerit aduersus Spiritū Sāctū, nō remitterur ei, neq; in præsenti, neq; in futuro seculo, Mat. 12. v. 32. idcirco hoc loco vidēdū est, quid sit Peccatū in Spiritū Sāctū: ne, quia Spiritus Sāctus Deus est, existimemus & cōcludamus, quem admodum Novatiani faciebant, ergo quod ois peccatū in Deum nūquam remitterur. Itaque lapsis hominibus neq; spē veniē faciebāt illi, neque condonabāt peccatū. Soerat. lib. 4. cap. 28. 7. cap. 25. Quæ res ad desperationē homines adigit

adigit, & contra Christi doctrinam aperte pugnat, Matth. 18. v. 21. Ezech. 18. Ac certè quum in Filium Dei peccatur, peccatur in Deum, & tamen illud peccatum remitti potest, Mat. 12. v. 31. Præterea hoc nomine & genere peccati (quod dicitur esse in Spiritum Sanctum) non quicquid dicto vel facto peccatur, & contra Dei præcepta committitur, potest videri comprehensum esse, sed Christus aliquod certum intelligi voluit & propriū peccati genus. Neque etiam idcirco dictū est, quod si quis peccauerit in Spiritum Sanctum, non dimittetur illi, quasi Spiritus Sāctus in Trinitate & Patre & Filio sit maior, quum vna sit trium potestas. Est igitur hoc peccatum quod dicitur in Spiritum Sāctum proprio & speciali nomine, obstinata illa ad mortem vsque peruicacia, per quam quispiam non ignorantia, sed sola destinata animi malitia, à tota Euangelii doctrina, quam sciuit, totus fit & manet auersus, càmque odit & persequitur, Heb. 6. v. 4. 10. v. 26. Nam quum per vitæ tantum lasciuiam ab Euangelii doctrina desciscimus, & nos auertimus: quum item, illius ignorantia ducti ac cæci adhuc, diuinæ veritati resistimus, non dicimur peccare in Spiritum Sanctum: sed quum volentes, scientes, prudentesque vniuersa mente non vnum tantum aliquod fidei caput, sed vniuersam ipsius Euangelii doctrinam, quam bonam esse ex ipso consciētiae testimonio scimus, oppugnamus, tunc verè peccamus in Spiritum Sanctum, tunc omnis spes veniæ denegata est, quia nunquam Deus animum peni-



Cap. 60. ISAGOGES CHRISTIANÆ

tentiæ istis donat. Heb. 6. v. 6. quem tamen dat  
iis, qui ignorantes Euangelium persequuntur:  
qualis fuit Paulus. I. Tim. I. v. 13. Hoc idē pecca-  
tum dicitur, ad mortē, pro quo orādū minimē  
est, I. Ioh. 5. v. 16. I. Sam. 16. v. 1. Et huic peccato  
semper Impœnitentiæ peccatū coniunctū est.  
Itaque tales indurantur magis magisque vsque  
ad finem vitæ. Cuiusmodi peccatores etiam  
tempore Ioannis fuisse, & Iulianum Aposta-  
tam postea, & nunc etiam hodie esse posse cer-  
tum est, quanquā temerē de iis sententia ferri  
non debet. Veteres dicebant impœnitentiam  
esse peccatum in Spiritum Sanctum, sed ve-  
rius est eam tantū esse illius peccati comi-  
tem. Alii volunt eum peccare in Spiritum Sā-  
ctum, qui obgannit & oblatrat ei dono Spiri-  
tus, per quod immundi spiritus eiiciuntur, sed  
sua sententiam non probant. Bern. Serm.  
38. Cant. dicit Impœnitentiam esse hanc blas-  
phemiam, ex Augustini sententia confundens  
res connexas. Vocatur autem Peccatum in Spi-  
ritum Sanctum, quia Spiritus Sanctus quum  
peculiariter illuminet mentes ad veritatē per-  
cipiendā, idem illo impeti & quasi calcari pe-  
dibus videtur in donis illis per quæ testimo-  
niū veritatis obtulerat, & quadatenus inscul-  
pserat, dum illud testimonium ab impiis quo-  
uis modo inuertitur, & quasi euomitur. Non  
sunt autem perditæ istiusmodi consciētīæ ho-  
minum eadem semper exempla: quando non  
omnes perinde illis Dei donis perstricti sunt,  
aut ea sunt ad tempus apud homines professi.

ISAGOGES



ISAGOGES AD CHRISTIANORVM THEOLOGORVM LOCOS COMMUNES LIBER secundus, Qui de Dei cultu:

Per LAMBERTVM DANAEVM.

CAP. I.

*De COGNITIONE Dei: Ac primum, Quid sit Deum cognoscere.*

**A** T QV E hinc finita est prima pars huius loci, & disputationis nostræ Isagoges: Sequitur altera, quæ est de Dei veri Cultu. De eâ autem dicturis nobis ordiendum esse videtur à Cognitione Dei, vt apparet Rom. 10. v. 14. cui connexa quoque est Nostri Cognitio. De nostri verò Cognitione vide Bernard. Serm. 36. & 37. Cant. Cantico. Cæterum nostri ratione Dei Cognitionem præcedere debet nostri Cognitio, etsi vtraque tamen est inter se coniuncta, vt docet Calvin. lib. 1. cap. 1. Instit. Christ. Nos autem in hoc tractatu eam prætermisimus, quia rem nobis esse existimamus cum piis, & eruditis, non au-

Cap. I. ISAGOGES CHRISTIANAE

tem cum adhuc planè rudibus hominibus quibus esset explicanda. Ergo de sola Dei cognitione hinc agemus. Deus habitat lucem inaccessibile. I. Tim. 6. v. 16. Itaque cerni à nobis oculis corporis non potest. Ioan. 1. v. 18. I. Ioan. 4. v. 12. Sed quemadmodum eius natura & essentia sub sensus humanos non cadit Exod. 33. v. 20. ita neque humani etiam ingenii viribus & captu aut intelligentia comprehendi potest. Est enim mens humana angustior, quam ut tam immensam tamque infinitam Dei maiestatem suis finibus capere atque complecti queat. Itaque quum Deum cognoscere dicimur, non eo sensu accipiendam est, quasi Dei naturam & essentiam totam definitione aut animi nostri finibus & cogitatione complectamur, quemadmodum hominis aut alicuius alterius rei, quam cognoscere dicimur, quae à nobis qualis quantaque sit, neque eius natura, tum explicari tum etiam animò concipi potest. Sed quum Deum cognoscere studemus aut dicimur, attributa tantum quaedam & proprietates Dei, quae aliquè nobis de Deo sensum afferunt, intelligimus, per quae eius metu afficimur. Sic Paulus Dei cognitionem esse praecipuorum quorundam attributorum Dei intelligentiam definit, veluti potentiae eius, sapientiae, aeternitatis, caeterarumque proprietatum. Rom. 1. v. 20. Est igitur Deum cognoscere, Dei quaedam vel omnia attributa nosse & percepisse.

CAP.



## CAP. II.

*Quotuplex sit Dei Cognitio.*

DEI Cognitio Serm. 31. Cant.  
Canticor. Bernardo est duplex,

nem- pe ex	}	Creatione:	}	Prophetica
		Reuelatiōe		Inspiratio- ne generali.

Verūm Dei Cognitio potest in summa du-  
plex constitui,

nimirū vt sit alia	}	Generalis omniū hominū,
		Specialis Fidelium.

Cæterūm vtraque à posteriore, i. ab effectis.  
Creaturæ enim Deum cognoscunt non à pri-  
ore: sed à posteriore, vt præclare ait Theodo-  
ritus. Quam enim ex ipsis effectis aliquid co-  
gnoscimus, vt Deū, illud intelligimus à poste-  
riore. Ac Generalis quidē etiam generali noīe  
vocetur, quæ omniū hominū nō profus  
cōmuni sensu carentiū cōmunis est. Hæc ve-  
rō etiā duplex est, aut Naturalis, aut Experimē-  
talis. Ac Naturalis quidē Dei cognitio est, quæ  
ex huius visibilis Mūdi aspectu habetur. Nam  
ex eo ipso nascitur, quòd ex rerum & operum  
Dei visibilibus testimonio, fructu, vsu, excel-  
lentiā, aspectu homines, tacito conscientiæ sue  
consensu & testimonio accedente docentur,  
atque conuincuntur esse aliquem Deum. Rom.  
i. v. 20. Heb. ii. v. 3. Act. or. 14. v. 17. Experimen-

Cap. 2. ISAGOGES CHRISTIANÆ

talis est quum homines ex vna aliqua re, experientia, & euentu experiuntur & sentiunt vel minas Dei antè denuntiatas, vel promissionum implementum, atque propterea tantum Deo credunt, & eius verbo, Zach. 6. vers. 15. Psa. 83. vers. 19. quæ differt ab illa Naturali. Nam Naturalis ab omnibus hominibus haberi potest, imò habetur qui modò non sunt vsu rationis destituti. Ergo & ab infidelibus, qui sensu ipso iudiciorum Dei victi aperte coguntur fateri esse Deum, Daniel. 4. v. 31. & à piis ac fidelibus quoque. Experimentalis autem ab iis tantum, qui experti sunt illas Dei minas vel promissiones veras. Et hæc quidem de Generali Dei cognitione. Alia verò est Dei cognitio quam esse Specialem diximus, quæ fidelium est propria, & saluifica appellatur siue salutaris, ac *ἐπιγνωσις*. i. perspicua cognitio. Scholastici dicunt triplicem esse librum, vnde Deus cognoscatur.

Est enim,  $\left\{ \begin{array}{l} \text{Naturæ, ex hoc mundo visibili;} \\ \text{Scripturæ sacrae, nimirum ex verbo ipsius Scripto;} \\ \text{Vitæ, quum erimus in cælo, \& videbimus Deum sicuti est.} \end{array} \right.$  Thomas ait esse triplicem modum Dei cognoscendi,

nimirum  $\left\{ \begin{array}{l} \text{Per naturam} \\ \text{Per gratiam} \\ \text{Per gloriam in 1. 2<sup>a</sup> Quæst. Eodem recidit Thomæ sententia.} \end{array} \right.$

## CAP. III.

*De Generali Dei Cognitione.*

**R**ego Generalis Dei Cognitionis haud titur ex Dei operibus visibilibus, ut Paulus ait Rom. i. v. 20. Heb. ii. v. 3. Quæ sunt duplicia, Ac primum ordinaria, postea extraordinaria. Ex ordinariis quidem Dei operibus eius cognitionem assequimur, veluti ex mundi fabrica, ordine, administratione, & continua temporum successione, vsu fructu, excellentiâque, vel totius huius mundi, vel singularum eius partium, uti in capite de Mundi Creatione fufius diximus. Sic enim Deus hæc omnia condidit, sic aperte & manifestè ornauit, sic ad hominum utilitatem creauit & creata tuetur, sic denique apparent, ut non modò docti in huius mundi tanquam vocalissimi præceptoris & locupletissimi libri aspectu proficere possint, sed etiã indocti & imperiti, si modò oculos, aures, manus habeant, Dei hæc manifesta & omnium oculis obuersantia opera attendant, ac denique si se esse seu existere ac viuere sentiât, quia intra vnumquemque nostrum Deus est, & cognoscitur ex suis beneficiis, & effectis penè eum manibus palpamus, ut non sit extra nos quærendus, Actor. 17. v. 27. Psal. 8. & 97. v. 6. Sap. 13. Rom. i. v. 20.



Ex extraordinariis Iustitia,  
 autem eius operibus. }  
 Deus cognoscitur, si } Misericordia,  
 ue in iis eluceat eius }

Iustitia in puniendis malis, Dan. 4. Misericordia autem in euehēdis defendendisque bonis. I. Reg. 10. v. 9. Atque ut hæc cognitio facilius ab ea distingui possit, quæ saluifica est, quædam obseruabimus, quæ de hac dici possunt verissimè.

Primū quidē, quòd hæc cognitio, quæ ex Dei dūtaxat operibus visibilibus, seu ex hoc Mundo habetur, vera quidē est, non sufficit tamen ad salutē, propterea quòd peculiaris cognitio redemptionis à peccato ad salutem requiritur. Proinde qui hæc omnia, quæ oculis vsurpamus, intuens, credit aliquem esse Deum, verè quidem credit, & verè colligit, & cognoscit esse Deum, nondum tamen tantum cognoscit, quantum necesse est ad animæ suæ salutem.

Secundò hæc generalis cognitio docet quidem esse Deum & cum etiā colendum (cognoscit enim potentem, & iustum, & sapientem) sed tamen non agnoscit, & quis sit, ille Deus, & quomodo colendus. Ethnici enim Deum esse & venerādum falsi sunt, ecquis tamen ille esset, distinctè nulli eorum explicuerunt, etsi inter eos alii propius à vero abfuerunt, minùsque impurè de Deo se serunt. Ac quidem inter omnes vnus Plato, qui propter eà diuinus dictus est. Nulli tamen, quis esset

set verus ille Deus cognouerunt, neque scripserunt, sed varium quoddam animi sui commentum, id est, idolum & phantasma pro Deo coluerunt. Itaque dicuntur fuisse *idolatri* & sine Deo, quia perinde est nullum Deum colere, atque non verum, Eph. 2. v. 12. Sed quemadmodum verum Deum non cognouerunt, ita neque, quomodo adorandus is esset, intellexere, quamquam fatebantur adorandum. Sed quæque ciuitas & populus pro suo ingenio cultum ei tribuit & constituit quem Deum existimabat, adeo ut omnis hic cultus mera idololatria fuerit, & Deo displiceret. Hierem. 2. Rom. 1. v. 23. Hoc est quod ait Thomas in 1. 2<sup>a</sup> Quæst. 12. Artic. 12. Loquutionem Dei, quæ ex natura habetur, docere nos hæc tria: 1. esse Deum aliquem: 2. eum esse causam omnium: 3. eum esse differentem à rebus aliis, illisque omnibus infinitè supereminentem. Vide item August. Serm. 55. in Ioannem, quæ tria non sufficiunt ad salutem. Rom. 1. v. 20.

Tertiò hæc Generalis Dei cognitio testimonio conscientie maximè sustentatur, quæ datur à Deo omni homini venienti in hunc mundum Ioan. 1. v. 7. Est ergo illa paruum aliquod magnarum animæ dotium fragmentum, quas Deus in nos contulerat: sed quas Adâ per proprium peccatum amisit. Itaque quæ admodum multis de causis illa conscientie nostræ vis & vox vel suffocatur, vel enascitur, vel deletur, vel corrumpitur: sic hæc Generalis Dei cognitio in nobis. Profus tamen deleri, sicuti

Cap. 3. ISAGOGES CHRISTIANAE

neque conscientiae vis tolli potest. Nam & pravis moribus & eorum quibuscum versamur, perverso iudicio, & communi hominum seu populi recepta superstitione ea Dei cognitio solet vel corrumpi, vel etiam mutari in meram idololatriam, quia ad idola & falsos Deos accommodamus pertinereque putamus, quae conscientia nobis de Deo credenda dicitur, propter populi & regionis, in qua versamur, consuetudinem & pestiferam superstitionem, qua sponte abripimur. Prorsus autem extingui Dei qualiscumque metus in mundo nunquam potuit, testante contra ipsa hominum conscientia, & Deum colendum, & daemonia detestanda, ut docet in libello de Testimonio conscientiae Tertull.

Denique haec Generalis Dei cognitio, ut ex superioribus apparet, reddit tantum nos coram Deo inexcusabiles, non autem continet, aut tradit salutis doctrinam: per quam vnum Deum tanquam augustam quandam maiestatem & potestatem incomprehensibilem cognoscimus: in Filio autem suo misericordem nobis non intelligimus. Etsi verò quaedam Ethnici de Dei benignitate erga genus humanum dixerunt & senserunt, ea tamen pauca sunt, & frigida, & incerta, quia non innituntur suo fundamento, id est, Christo, sed vanis quibusdam eorum speculationibus. Quare rectè docet Paulus hanc Dei cognitionem ex summis naturae vestigiis dūtaxat usque eo valere ut reddamur inexcusabiles Rō. I. v. 20.

Cuius



Cuius rei culpa, id est, ut ex Dei visibilibus operibus tamen non assequamur, quantum ad salutarem Dei cognitionem sufficit, nostro vitio accidit, nulla autem Dei ipsius culpa: utpote qui primo homini satis ingenii, & naturalis vivacisque luminis ad sua opera salutariter considerata dederat, nisi Adam sponte peccato suo illud lumen amisisset. Non item ipsorum Dei operum defectu & vitio id accidit, quoniam in iis ipsis satis ampla diuinæ erga nos bonitatis testimonia ac scintillæ seu radii emicant, si modò oculos ad eos perspicuendos & denotandos haberemus. Atque hoc generalis duntaxat cognitionis modo Ethnici Philosophi Deum cognouerunt, ad eò ut eorum libris Theologia vera disci nequaquam possit, contrà quam tamen multi etiam non hodie iudicant, sed fallò.

### C A P. IIII.

*De Speciali Cognitione Dei, quæ fidelium propria est.*

**S**equitur Peculiaris Dei Cognitione, de qua vide Bern. Serm. 30. Cant. Canticor. Cognitione Dei, quæ specialis est, non ex huius mundi aspectu, sed ex ipsius Dei verbo hauritur, cuius lectio & notitia longè firmiorem Dei cognitionem affert, quàm res hæ visibiles & naturales o-

Cap. 4. ISAGOGES CHRISTIANAE

mnes. Cæterùm hæc ipsa cognitio specialior est quoque duplex, vna communis hypocritis cum fidelibus, quæ est sine dono regenerationis: altera solùm fidelium propria, de qua sola nunc agimus, quæ à Thoma dicitur Cognitio per gratiam. Hæc Dei cognitio vt clarior sit, atque vtilior nobis, cum ea coniungenda est, quæ nostri Cognitio appellatur. Summa enim Christianæ & veræ sapientiæ nostræ duabus his partibus constat, nempe Dei & nostri cognitione, quarum vera prior tractari debeat; penè incertū est, nisi quod & ratione dignioris subiecti, & quadam naturali noticia informati facilius eam, quæ Dei Cognitio nominatur, intelligimus, ac proinde priorem indicat, & illa etiam nostri cognitionem complectitur. Sunt verò inter se hæc duæ coniunctissimæ, & vna alteri magnam tractationis lucem affert. Nos autem vt singula suis locis dicantur, vbi commodius possunt, hæc de illa Speciali Dei Cognitione tantum agemus. Nostri verò tractationem in tractatum de Homine differemus. Ergo hæc Dei cognitio, quæ fidelium hominum propria est, non ex solo rerum naturalium & visibiliū aspectu oritur, quem admodum diximus, vt tamen Antonius Monachus, qui Magnus dictus est, homo idiota, existimabat: sed proprie ex Dei ipsius verbo, & Scriptura sacra hauritur, quæ S. Scriptura nobis affatim sumministrat, quæcunque sunt ad veram & salutarem Dei cognitionem necessaria. Itaque hæc duo passim cōiunguntur, quoties

quoties de salutari Dei Cognitione mētio fit, nempe cognoscere Deum, idque per Iesum Christum, Ioan. 17. v. 3. 2. Pet. 1. v. 2. & 8. 3. v. 18. 1. Ioan. Christi enim nomine etiā Christi doctrinam complectimur, in qua se plenē reuelauit, & sine qua etiam nunquam esse, ac ne fingi quidē esse potest Christus. Rom. 1. v. 16. & 17. Vnde Verbum illud Dei scriptū dicitur passim in Scripturis lucerna pedum nostrorū, Psal. 119. lucidam præceptum & illuminans oculos Psal. 19. v. 9. per quod verbum dicitur Deus de ætate in ætatem, & de fide in fidem patefecisse iustitiam suam hominibus. Rom. 1. v. 17. Vnde Dei Ecclesia nunquam eius verbo destituta fuit, siue scripto, siue reuelato. Nam Adamo, Noæ, Abrahamo, atque antiquis illis Patribus (quorum temporibus vel nulla dum vel pauca scripta erāt) Deus per Visiones, per insomnia, per familiaria quædam colloquia voluntatem suam reuelauit Patribus piis, quæ res illis pro Scriptura fuerunt. Postea autem & præsertim post Mosen (quanquam etiā fuerunt antea Prophetæ, multæque à Deo reuelationes, & ex his quædā fortasse etiā scriptæ, vt libri Enochi) tamen præcipua cognitionis salutaris pars in verbi scripti explicatione postea posita fuit, quam Prophetæ sūt secuti. Ad illud enim verbum Dei scriptum tanquam ad sacram anchoram confugiendū est, à quo tota salutis nostræ cognitio & doctrina est petēda, Mat. 4. Ioan. 5. Isa. 8. De cuius certitudine & authoritate alius erit dicēdi locus in Loco de Verbo Dei. Quamobrem ex eo fonte. i. Verbo



Cap. 4. ISAGOGES CHRISTIANÆ

Dei hæc ipsius cognitio, quæ fidelium est propria, ducenda est, in qua duo hæc notatu dignissima sunt obseruanda.

Primum quidem, quod hæc Dei siue verbi diuini cognitio non est nuda tantum uocum notitia & intelligentia, pro cuiusque idiomatis proprietate & varietate, in quo doctrina cælestis comprehensa est, Hebræo nimirum & Græco. Latine enim nihil quicquam receptorum tum veteris, tum noui Testamenti Scripturarum originario scriptum habemus. Sed hæc uerbi Dei cognitio, quæ fideles decet, est mentis Scripturæ assuetio, & uiuidus interiusque medullæ eius sensus, quo qui eam legunt uel audiunt, afficiuntur, quacunque lingua aut idiomate ab iis legatur & intelligatur, 2. Cor. 3. v. 6. Et quia mens Scripturæ haberi, nisi ex plena uocum & uera intelligentia non potest, uirique linguæ Hebræicæ nimirum & Græcæ sedulo inuigilandum est Theologiæ candidato, & Spiritus Dei assidue implorandus, qui nos medullam suæ Scripturæ doceat, & vim eius faciat experiri, illique credere uera fide. Nam solus Dei Spiritus potest eam nobis reuelare, 1. Cor. 2. v. 11.

Secundum autem, quod est hoc loco annotandum, huiusmodi est, ueram nempe Dei cognitionem (quæ specialis est fidelium hominum) habere semper secum comitem Regenerationis Spiritum, ac proinde obedientiam & obsequium, quod præstant<sup>o</sup> patefactæ nobis uoluntati Dei in ipsius uerbo, 1. Ioh. 2. v. 3. Rom. 2. v. 13. Est enim illud Bernardi uerissimum, ut non calefacit Sol, quicquid illustrat: ita neque Spiritus Sanctus

Sāctus regenerat, & ad sui cælestisque doctrinæ amorem impellit & excitat, quoscūque illuminat. i. quibuscunque illius doctrine notitiam dat: sed solos duntaxat Spiritus doni nota discretos à reliquis verè pios ac fideles.

De prima illa ac generali Dei cognitione dicebat August. Serm. 143. de Tēpore. Philosophi Gentium Dei legem non acceperūt: sed eis Deus quodāmodo filēs ipsis Mūdi operibus loquebatur, & eos ad quērēdū artificē rerū, Mundi species inuitabat. Nec potuerūt in animum inducere cælum & terrā sine authore constare non posse. De hac fidelīū speciali ait lib. 1. Trinit. idem Augustinus, Mētis humanæ acies in tam excellenti luce nō figitur, nisi per iustitiam fidei nutrita vegetetur. Cæterū ex solo huius mundi aspectu vel naturali notitia potuisse Gentes ad Euangelii & Christi Mediatoris agnitionē peruenire, aut peruenisse, falsissimū est, quicquid Ambrosius in Rom. 2. scribat, & Clemens Alexand. lib. 1. Stromat. Quod ait quoque Augustin<sup>9</sup> Serm. 18. in Mat. *Fecit te Deus o homo ad imaginem suam, daretne tibi unde videres Solē quem fecit, & non daret tibi, unde videres eū, qui te fecit? Vtrūque dedit tibi: quasi omnibus hominibus promiscuè data sit hæc salutaris Dei cognitio, est sanè intelligēdum: atque etiam explicat ac soluit postea ipse, quum subiicit, In paradiso peccauit Adam. Quum haberet ergo cor sanum pura conscientia gaudebat ad presentiam Dei. Postquam peccato oculus ille sauciatus est, cepit lucem formidare diuinam, Veritatem fugit, umbras appetit.*

Cap. 5. ISAGOGES CHRISTIANAE

*Nos inde nati sumus: ut hoc Augustini dictum de primo statu hominis accipiendum esse, non de hoc nostro, perspicue ex ipsius Augustini mente appareat. Quod denique dicunt Scholastici & Augustin. Deus & natura non deficiunt in rebus necessariis, eodem referendum est. In summa per cognitionem Dei generalē cognoscimus duntaxat ὁμοῦν & παρῆεν Θεῷ, ut loquitur Paulus Rom. I. v. 19. Verum per specialem cognitionē, quæ ex illius verbo habetur, cognoscimus ἰσοῦν Θεῷ I. Cor. 2. vers. 7. Nam quod ait idem Augustinus Sermon. 59. in Ioan. gloriam Christi omnia quæcunque sunt sub celo, clamant, est intelligendum demum post & per Euangelii (quod per uniuersum mundum annuntiatum est) prædicationem, non autem de mundi huius aspectabilis intuitu intelligi Christum, Filium Dei.*

C A P. V.

*De FINĒ, ad quem Specialis Dei Cognitio pertinet: nempe, de Cultu Dei.*

**F**X eo quod proximè dictum fuit, apparet Dei cognitionis finem esse cultum Dei, id est, religionem, siue fidem, quæ cum serio eius timore, ac interna externaque veneratione coniuncta sit. Nam eorum, quæ sciuntur, quædam *ἡσυχαστικὰ*, id est, nudæ contemplationis causa duntaxat sciuntur, ut artes mathematicæ omnes: quædam autem

*πρακτικὰ*



~~curiositas~~, id est, actionis causa discuntur, vt artes  
 & cognitio de moribus, quæ optima & verif-  
 sima verbo Dei continetur. Itaque non otiosæ  
 cuiusdam speculationis gratia, non curiosæ i-  
 tem disputationis, sed veri Dei colendi causa,  
 Dei præcepta & verbum discere debemus. 1.  
 Tim. 1. v. 5. Vndè Ioan. ait cognoscere Deum  
 esse præcepta eius facere. 1. Ioan. 2. v. 3. 4. Et quia  
 piè coli Deus, nisi cognoscatur, non potest,  
 idcirco cognitio cultum docendi ratione præ-  
 cedit: Cultus Cognitionem sequitur, Rom. 10.  
 v. 14. Ex cognito autem Deo, & cultu illi iuxta  
 ipsius voluntatem constituto, Religio nata est,  
 quæ est publica & certa Dei colendi ratio,  
 quam ipse verbo suo à nobis requirit. Qui igitur  
 vel legem, vel Deum cognoscit verbo so-  
 lum is non placet propterea Deo: sed qui co-  
 lit Deum, quemadmodum ipse suo verbo præ-  
 cepit, is demum illi gratus est Rom. 2. v. 13.  
 Matth. 24. v. 46. Luc. 12. v. 47. Alioqui miserrima  
 nostra cognitio est, & prorsus inutilis, imò  
 etiam damnosa Rom. 1. v. 21. Luc. 12. v. 47.  
 nisi nempe Deum colamus. Porrò hæc co-  
 gnitio specialis non est par in omnibus etiam  
 verè fidelibus: sed varii sunt ipsius gradus, vt  
 docet Paulus. 1. Cor. 12. Præstantissima autem  
 illa cognitio Dei, quæ datur quibusdam, vti o-  
 lim Apostolis, nostro hoc seculo renascente  
 Euangelio, paucis, dicitur *σοφία*, id est, sapientia  
 Paulo. Quilibet gradus tamen illius cognitio-  
 nis, per quam quis apprehendit ac sentit vera  
 fide Deum verum esse per Iesum Christum  
 vnicum ipsius Filium, & Mediatorum no-

Cap. 6. ISAGOGES CHRISTIANAE  
strum suum Seruatorem, salutaris est, & nobis  
in Christo nostram iustificationem & sancti-  
ficationem præbet.

C A P. VI.

De hac voce, CVLTVS DEI.

**H**ÆC disputatio erit de voce & de  
re. De voce ipsa *Cultus Dei* breui-  
ter dici potest non vno nomine,  
tum à Græcis, tum à Latinis sem-  
per appenari. Atque à Latinis quidem modò  
*Pietas*, modò *Religio*, vt ait Lactantius, modò  
etiam *Veneratio* numinis dicitur. Hic enim  
prætermittimus illam *Cultus* seu colēdi signi-  
ficationem, qua *Deus* nos colere. i. excolere, &  
meliores facere dicitur, de qua August. anxie  
Serm. 59. in Ioan. A Græcis autem modò sim-  
plici voce, *σεβεία* modò cōposita *εὐσεβεία*, modò  
*λατρεία*, modò ab eius specie *προσκύνησις*, modò  
*θρησκεία*, modò etiam *δουλεία* dicitur. Inepta est  
enim & indocta ea distinctio, quæ fit à Papi-  
stis inter *δουλείαν* & *λατρείαν*, quasi hæc ad solum  
Deum pertineat, illa autem ad venerationem  
sanctorum. Nam Paulus in finis penè locis  
pro eodē ponit *δουλεύειν θεῷ* & *λατρεύειν θεῷ*. Rō.  
i. v. 9. & 26. Rōm. 12. v. 1. Gal. 4. v. 8. & 9.  
i. Thess. I. v. 9. Matth. 6. v. 25. Potius illud hic  
à nobis est obseruandum, vt *Cultum Religio-*  
*sam* à *Ciui* (qui hominibus, veluti parenti-  
bus, Magistratui, Pastoribus reliquisq; aliis hu-  
iuf-

iusmodi personis tribui debet ex Dei verbo) distinguamus. Sic autē facilē fiet, si dixerimus Civilem Cultum (quem *πῦλον* vocat Petrus I. Pet. 2. v. 17) esse Dei verbo præceptam nobis agnitionem, venerationēque hominum tanquā selectorum Dei instrumentorum ad societatis humanæ, vel etiam Ecclesiæ conseruationem, quibus tamen nec spes, nec fides, nec fiducia nostra inniti debeat. Cultus verò religiosus (quem idem Petrus vocat *φύλον* ibidem) est Dei agnitio veneratioque, tanquam ipsius fontis omnis boni & sanctitatis, & in Ecclesia, & in societate humana, quæ spem, fidem, fiduciāque nostram totam in vno Deo proinde collocare docet.

## CAP. VII.

*Quotuplex sit CVLTVS DEI.*

**A**ntequam definiri possit, quid sit Cultus Dei, distinguenda sunt varia eius significata potius, quàm species, quia nō vna & eadem definitio in omnes cultus Dei species cadit. Hoc quidem in genere dici potest, cultum Dei, de quo solo hic agimus, esse publicam obsequii & legitimæ venerationis notam & protestationem, quam Deo præstamus: sed quoniam, etsi non est bruta res deuotio: sæpè tamen falsa opinione duntaxat fulcitur, ac sustinetur, sæpè veritati ipsi cælessi innititur, & verbo Dei,



Cap. 8. ISAGOGES CHRISTIANAE

Idcirco in genere cultus  
1<sup>o</sup> Dei est duplex, } Fallus,  
} Verus, & is quidem } Internus,  
} } Externus.

De quibus omnibus ordine est agendum.

Denique vera est illa Chrysofomi sententia in Homil. 1. de Oratione. Mors animæ est impietas. Animæ vita, cultus Dei. Item illa August. Serm. 64. in Ioan. Deus quem colitur, creditur: quem creditur, colitur: quem creditur, capitur.

C A P. VIII.

*De falso Dei Cultu in genere.*

**F**alsus Dei cultus in genere est, quæ homines, vel falso Deo instituerunt, seu instituunt, vel vero quidem & soli Deo, sed ex falso fundamento, id est, ex iudicii sui ac cerebri arbitrio & sensu. Neque enim nullo magis falsus est cultus, qui exhibetur ei, qui natura Deus non est. Gal. 4. v. 8. Rom. 1. v. 26. quàm qui soli quidem & immortalis Deo, sed præter verbum eius, & voluntatem offertur. Nam minime vult Deus, ut quæ ipsi probamus ea faciamus pro legitimo eius cultu: sed duntaxat ea, quæ ipse probavit & æstimavit, habet grata, & à nobis requirit. Bonas enim nostras intentiones ne hilum quidem moratur, aut facit Deus. Deut. 12. v. 8. 1. Sam. 15. v. 22. & vno idcirco nomine Paulus omnem eiusmodi cultum

tura, velut meras superstitiones & nugas damnat. Hoc igitur vnum satis est, vt probetur is cultus, quem Deo exhibemus, neque verus esse, neque legitimus & λογικός, quòd à nobis sit excogitatus, non autè ex Dei verbo institutus, Coll. 2. vers. 23. Vnde toties apud Prophetas & Mosè repetitum est, *Observate mandata mea & edicta mea*. Sua enim mandata obseruari vult Deus, non autem aliena. Atque hac ratione gentium omnium deuotiones ac religiones damnantur, item & Papistarum. Vtrique enim consentiunt in eo, quòd colendus sit Deus, & eatenus etià nobiscum faciunt: sed quum ad rem ventum propius est, & de modo formæque cultus Dei quæritur, & quis Deo erigendus sit, nos iuxta Dei ipsius verbû constituendum eû esse cultum Dei aut approbandum contendimus. Illi negant, sed pro animi sui libidine, & arbitrato Deo cultum instituire volunt. Et gentiles quidè ipsi, si qui modò ingenio acutiores inter eos fuerunt, apertissimè & ingenuè fatebantur, à se Deum non coli legitimè, quando qui vnus est Deus, tot tamen tamque sibi contrariis diuersisque rationibus & generibus coleretur, quemadmodum ait Tyrius Maxim. *λόγω πρώτο. μή γάρ γένος γένει ὁμολογῶν ἐν τοῦτοις, ἀλλ' οὐδέ πόλις πόλει, ἀλλ' οὐδ' οἶκος οἴκῳ, οὐδ' ἀνὴρ ἀνδρὶ, οὐδ' αὐτὸς αὐτῷ*. Et quædam admodum Plin. ait lib. 2. natural. hist. ca. 7. Per portiones cultus est Deus, qua quisq; egebat. Itaque Persæ Solem summo honore colebant: Rhodii contra solenni die conuentûque factò conuicia in Solem ingerebāt, quanta poterant

Cap. 8. ISAGOGES CHRISTIANAE

maxima. Alabandii, inquit Cic. lib. 3. de Nat. Deor. Deum Alabandum habebant, qui etiam omnino à vicinis ignorabatur. Inde etiam illa hostiarum distinctio fuit. Aliæ enim furvæ, quæ Diis infernalibus, & sanguinariis offerebantur: aliæ albæ seu candidæ quæ Diis celestibus & lætioribus à profanis mactabantur. Denique vt in vno & eodem Deo non cōsentiebant, ita non vno & eodem cultus genere eum honorabant: sed pro numero suarum ciuitatum quisque populus Deos suos tutelares & patronos habebat, quos diuerso etiam modo & genere placabant: imò quælibet familia suos Deos, lares & penates habuit coluitque. Quod Papistæ imitati sunt, & quōdam Iudæi, quum temporibus Prophetarum in Idololatriam incidissent, quemadmodū illis ab Hier. exprobratur Ier. 2. v. 28. 11. v. 13. Cæterum à Falsi cultus explicatione ordiri, & in genere & in specie hanc disputationem ac tractationē nobis visum est, quia licet sit posterior tempore, quàm verus cultus, est tamē nobis notior quàm verus. Ergo vt falsi cultus Dei species breuiter recenseam, opponitur Interno Dei cultui vero Hypocrisis, quæ est interni cultus Dei simulatio ex usurpatione & obseruatione accurata externarum diuini cultus ceremoniarum. Externo autem cultui Dei opponitur in genere Superstitio *Δεισιδαιμονία*. Superstitio enim est externi cultus diuini ab hominibus instituti non ab ipso Deo præcepti diligens obseruatio. Hæc sēper caret interno Dei cultu vero. Atheis-



Atheismus autē in vniversum & interno & externo cultui Dei opponitur. Est enim Atheismus interni externique Cultus diuini manifestus contemptus & neglectio.

## CAP. IX.

*De VERO Dei CVLTV in genere.*

**V**erus Dei Cultus est, quē ipse Deus sibi exhiberi à nobis poscit. Itaque iuxta verbū ipsius cōstituitur. Nā Dei voluntas in solo eius verbo nobis patefacta est, & quomodo sit ipse *κατακλι* colendus, à quo verbo si semel recedimus tanquam à vero & recto tramite, postea per infinita viarum diuerticula erramus, neque vllus est aberrandi finis, vel fidei certitudo. Est autem hic cultus Dei duplex, nimirum Internus & Externus. Internus est serius Dei timor ex fide, & cum fide coniunctus, qui Deo à nobis in conscientia exhibetur, & corde fit. Hunc Paulus vocat, caritatem veram erga Deum ex puro corde, conscientia bona, & fide non ficta, 1. Timoth. 1. vers. 5. Hunc in Spiritu seu conscientia nostra consistere, vt in proprio subiecto docet Christus ipse Ioan. 4. v. 24. quia & Deus est Spiritus & in Spiritu adorari vult. 2. Cor. 3. v. 17. Itaque hic cultus maximè est cōsentaneus Dei naturæ, illique *ἀνάλογος*. Rom. 12. 1. Est enim spiritualis. Atque hic quidē internus Dei cultus semper fuit quocunque tempore & vnus & idem. Externus verò cultus est externa veræ animi nostri in Deum pietatis

Cap. 9. ISAGOGES CHRISTIANAE  
testificatio, qualis nobis à Deo præscripta est  
fieri externo aliquo corporis opere, non au-  
tem qualem homines instituerūt. Paulus enim  
damnat ἐπιλοθρησκείας, Col. 2. 23. Hic cultus ex-  
ternus varius fuit in Veteri & in Nouo Testa-  
mēto. Ille prior & internus à solis electis Deo  
exhibetur: Hic posterior & externus etiam ab  
Hypocritis potest, quia consistit in ritibus ex-  
ternis, Hebr. 9. v. 10. Itaque optimus cultus est  
internus, & à fide proficiscitur, quam Dei ver-  
bo & promissionibus habemus. Sic autem ve-  
rus Dei cultus definiri potest in vniuersum,  
Cultus Dei est honor verus, qui Deo ex be-  
nignitatis & potentiae eius in nos sensu exhi-  
betur ex ipsius verbo. Honor autem hic, vt  
diximus, non ciuilis, sed diuinus, & religio-  
sus est, atque in corde & animo præcipue con-  
sistit. Ergo cultus ex sensu Dei potentiae & be-  
nignitatis oritur. Nam quæ propter sæuitiam,  
aut iniustæ potestatis formidinem reuerentiã  
alicui præstatur, non est cultus, sed seruilis  
metus. Hæc igitur definitio cultus qui filia-  
lis dicitur, naturam explicat, qui Deo ab ho-  
mine Christiano debetur, vti Parenti optimo  
& Deo suo.

C A P. X.

*De Interno Dei cultu, & in quot quibusque  
rebus consistat.*

IN

**N** quot autem quibusque rebus verus Dei cultus in vniuersū positus sit, non est futura longa disputatio. Ergo ille in eo omni ex fide prestando consistit, quod Deo gratum esse sacra Scriptura testatur, Rom. II. v. I. In primis autē Internus Dei cultus in eo situs est, vt corde & vera fide, ac animi sinceritate Deū ex ipsius iussis & præcepto veneremur. Sed quia facilioris doctrinæ causa hæc traduntur, commodius est, vt internum Dei cultum ad certa quædam capita reuocemus. Quot autem illa sint duplex Theologorum sententia est, quæ tamen eodem recidit. Hic enim prætermitto longas Scholasticorū de Adoratione & cultu Dei disputationes magnā partem ineptas. Alii igitur pauciores Interni Dei cultus species constituit, alii plures. Qui pauciores, alii duas, alii tres partes. Nam qui sic aiunt, diuinum honorem in eo positū esse, vt Deum summissi nostrum esse agnoscamus, & eius voluntati obsequamur, duas tantū illius cultus interni partes faciunt, nempe fidem & obedientiam. Alii autem his duabus partibus Inuocationem adjiciunt, sub qua Gratiarum actionem comprehendunt, atque ita tres Dei Cultus Interni species constituunt, Fidem, Obedientiam, Inuocationem. Qui autem plures tribus admittunt, ii vel quatuor, vel quinque, vel plures etiam recipiunt. Qui quatuor illius partes inducunt, sic distinguunt Internū Cultum Dei, vt primū in Deo fiduciam omnē nostrā collocemus: deinde, vt ei toto corde præstemus ob-




Cap. 10. ISAGOGES CHRISTIANAE

sequium: postea ut eum in omnibus nostris necessitatibus inuocemus: denique ut eidem gratias acceptorum nomine beneficiorum agamus: atque ita quatuor interni cultus Dei species enumerant, Fidem, Legē, Orationem, Gratiarum actionem. Alii etiam his quatuor Confessionem nominis Dei addunt, atque ita quinque efficiunt. Verum omnino rectius est, ut quadripartitam illā diuisionem sequamur, quia nihil confundit, & omnia quæ sunt ad Deum verè colendum necessaria complectitur. De quibus singulis à nobis nihil hinc agi necesse est, quum abundè dictum videri possit alibi. Nam fiduciæ nostræ in Deum collocandæ ratio, plenè ex Symboli, quod vocant, Apostolici explicatione intelligi potest. Obedientiæ autem præstandæ norma & informatio ex Decalogo seu lege Dei sumi debet, & eius tractatione. Inuocationis Dei verissima ratio ex Dominicæ Orationis formula & mente colligitur, si rectè explicetur. Gratiarum autem actionis præcepta ex eadem Dominica oratione in fine, & variis aliis scripturæ locis sumentur. Itaque in his explicandis hinc non immorabimur, quia singula hæc quatuor capita suum quædam & speciale tractatum merentur, & in Catechismis nostris copiosè exponi solent. Iam igitur ad reliqua pergamus. Ergo quum illa quatuor, Fides nimirum, Obedientia, Inuocatio, Gratiarum actio Deo à nobis vero corde exhibentur, est verus & internus ipsius cultus. Verum solo cordis motu in his contenti esse minimè debemus, imò ipsa demon-

demonstratio externa est vnà coniūgenda, vt i-  
 psis quoque corporis actionibus ac operibus  
 fidem nostram, obedientiam &c. ostendamus,  
 quoniam, vt docet Paulus, & corde & ore vult  
 coli à nobis Deus. i. animo & corpore, quan-  
 do quidem vtrumque nobis ipse dedit, Rom.  
 10. v. 10. Et qui solum animum Deo conse-  
 crant: corpus autem Diabolo, illi pessimè di-  
 uellunt, quæ debent esse coniuncta, & Deo  
 consecrata Matth. 5. v. 30. Cæterùm illa exter-  
 na Fidei, Obedientiæ, Inuocationis, Gratiarum  
 actionis opera dum à nobis exhibentur Deo,  
 non differunt specie ab interno Dei cultu, sed  
 tantùm *κατὰ συμβεβηκός*, vt pote quemadmodum  
 internum verbum à vocali differt, quoniam il-  
 lud internum est inuisibile: hoc externum est  
 visibile.

## CAP. XI.

*De IDOLIS, & eorum cultu, id est, de fal-  
 so Dei cultu in specie.*

 Vemadmodū supra de Deo, & in-  
 terno Dei cultu dictum, est, ita nūc  
 de idolis, & eorum cultu, qui est  
 Idololatria, est agendū, quoniam  
 est Idololatria præcipua pars falsi cultus Dei  
 externi. Nam sic facilius toti huic disputa-  
 tioni lux accedet, & ex contrariarum rerum  
 collatione intelligetur. De Hypocrisi autem,  
 quæ, sicut diximus, Interno Dei cultui op-  
 ponitur, minimè hoc loco laus dicendam  
 arbitramur, quoniam res est facilis, & nota.

Cap. 12. ISAGOGES CHRISTIANÆ

De Atheismo quoque, qui toti Dei cultui cōtrarius est, eūmq; prorsus euertit, nō putauimus fufius agendum, quum tantam ac tam horrendam blasphemiam & pestem satis sit inter omnes pios detestari, explicare autem & refutare eam nihil sit, mea quidem sententia, necesse: præsertim quum in prima parte huius loci aduersus istos homines <sup>adus</sup> copiose pro ratione Isagoges egerimus. Reitat igitur ea pars falsi cultus explicanda, quæ vero Dei cultui externo opponitur, cuius potissima species est Idololatria. Itaque ea explicata totum superstitionis genus erit expositum, ac tractatum, quantum satis est. Reliqua enim disputatio pertinet ad locum de Traditionibus Humanis, de quibus aliàs à nobis dicetur, Deo benè fauente.

C A P. XII.

*Ac primum de hac voce IDOLVM.*

**I**ΔΩΛΟΝ Græci appellāt effigiē alicuius rei, quæ oculis cernitur. Nā <sup>ἀπὸ τοῦ ἰδεῖν</sup> dictum est idolum, vt ait in lib. de Idololatria Tertulianus. Sed & ad eas quoque res, quæ suapte natura non vidētur, transfertur, si earum imago & similitudo fingatur aut pingatur, vt apud Euripidem in Hecuba dicitur <sup>ἰδωλον πολυδάρον</sup>, qui iam mortuus erat, nec videri poterat. Ergo etiam idolum dicitur fictum, & commentitium rei alicuius simulacrū, siue ea sit ac subsistat,



sistat, siue nō subsistat, modò fingatur, repræ-  
 sētetur oculis, vel appareat nobis. Ab hac iam  
 significatione ad Deorum & rerū visibiliū &  
 inuisibiliū imagines & similitudines (quæ vi-  
 sibili aliqua forma repræsentātur) generaliter  
 accommodatū est Idoli nomē, idque propter  
 eius Inuētionis & huiusmodi imaginū omniū  
 cuiuscunque sint generis, vanitatem, vt quidā  
 existimant, vnde prouerbialiter à Platone in  
 lib. de Rep. sæpe εἰδώλον pro re vana sumitur.  
 Alii, propterea quòd rei, quanuis sua natura  
 inuisibilis, species quædam efficta videretur &  
 cerneretur oculis à nobis, huiusmodi effigiē  
 Idolum dictam volūt. Inde Latine Idoli no-  
 mē sumptum est pro quauis specie & simili-  
 tudine, quæ alterius rei repræsentandæ gratia  
 fit, habetur, vel fingitur, & maximè cult' cau-  
 sa. Cæterū vox εἰδώλον cum Idolo sepe cōfūdi-  
 tur, ab eo tamē sic distingui potest, quòd ad vi-  
 uū & ad membrorum similitudinē expressa i-  
 mago dicitur εἰκων, vt ait Plinius lib. 34. cap.  
 4. natur. hist. Idolum autem dicitur etiam  
 non expressa ad viuam imago. Ab idolo no-  
 minati sunt Idololatræ, quī cultū, id est, eam  
 seruitutem, vt ait Augustinus, simulacris  
 exhibent, quæ debetur Deo, non quatenus  
 ipsa simulacra per se materia quædam sunt:  
 sed quatenus ea sunt, id est, habentur vel  
 Dei, vel alicuius augustioris naturæ ima-  
 gines ac repræsentationes. Alio etiam modo  
 Græci εἰδώλον vocant imaginem: Ἀνδραγαθὴν ἄνθρωπον  
 ἡρώδης ἰσχυρὸν ἄνθρωπον. P. j. oisicib  
 -ugit 3

Cap. 13. ISAGOGES CHRISTIANAE

nominant eam statuam & effigiem, quæ homini alicui bene de Repub. merito virtutis & honoris ergo erigitur & ponitur. Vide Iulium Pollucem lib. 1. *ἰδωλαστικῶν* statim initio libri. Hebræi nomine significantissimo & maxime proprio Idolum לילן vocant, per quod eius generis rerum vanitas & futilitas ostenditur. Itē בעל & סמל, à quo vox *similis*. Latina dicitur. Inde similitudo, quæ idem significat atque Idolum, Imago, Effigies, Repræsentatio.

CAP. XIII.

*Quod genus imaginis haberi prohibeatur.*

**N**ON omnis autem imaginis species haberi prohibetur, aut Idoli nomine damnata est, sed ea modo, quæ cultus & venerationis, ergo fit, & retinetur. Nam quæ tantum oblectandi animi gratia, aut amici memorie conservandæ causa habetur, aut vetustatis repræsentandæ nomine, ea nequaquam damnatur lege Dei. Eas tamen esse in Christianorum templis omnino periculosum est, ut docet August. Psal. 113. Caterum Christianos imagines neque iuvant, neque doctiores faciunt sed imperitiores. Vera enim & viva Christi imago est, Prædicatio Evangelii, Gal. 3. v. 1. Non typis enim & figu-

& figuris, sed veris virtutibus vitæ suæ exem-  
 plum. Christus discipulis suis dedit. 1. Cor. II.  
 v. 1. Euseb. Hist. Ecclesiast. lib. I. cap. 4. Atque  
 etiam idem ipse Eusebius lib. 7. cap. 28. *ἰδὲ τὴν*  
*συνοδικῆς Ἐθνικῆς consuetudine*, Pauli & Petri, ad e-  
 que ipsius Christi *ἑμώνας* & imagines seruatas  
 esse inter Christianos scribit. Prætereà etiam  
 sæpe error in eo etiam manifestissimus appa-  
 ret, propterea quòd hæreticorum, seditioso-  
 rum atque schismaticorum hominum effigies  
 in templis Christianorum sæpe cultæ ac co-  
 honestatæ fuerunt, quod est offendiculum ma-  
 ximum, facitque totam hanc imaginum, me-  
 moriæ conseruandæ causa, institutionem &  
 incertam & valde periculosam. Tale quid au-  
 tem accidit in effigie Ammonii schismatici &  
 seditiosi Monachi nobilitata à Cyrillo Ale-  
 xandriæ Episcopo, vt tradit Socrat. Eccles. Hist.  
 lib. 7. cap. 14. Hieronymus ait, Multorum cor-  
 pora veneramur in terris, quorum animæ tor-  
 quentur in inferis. Sed ne ipsius quidem Chri-  
 sti memoriæ causa, imago in templis Christia-  
 norum esse debet, vt res tota tutior sit, nèue  
 prima Idololatriæ erigendæ semina in Chri-  
 sti imagine facere videamur, quicquid de  
 Christi imagine seruata Cæsareæ Philippi  
 scribat Eusebius lib. 7. Histor. cap. 28: & de e-  
 iusdè Christi imagine fracta postea, & à Chri-  
 stianis collecta & in tēplo reposita sentiat Zo-  
 zomen<sup>o</sup> lib. 5. cap. 21. Nā hīc .i. in Christi ima-  
 gine lapsus facillim<sup>o</sup>, & tamē periculosissimus



Cap.14. ISAGOGES CHRISTIANAE

est, & à Simonianis Hæreticis primùm in Ecclesiam inuectus. Hi Christi effigiẽ colebãt, proptereaquẽ etiam olim ab Ecclesia damnati sunt. Vide Synodum VI. Oecumenicã, quã Constantinopoli habita est, vbi huiusmodi omnes picturã Christi in Christianorum tẽplis erigi meritò, magnisquẽ ac piis de caussis vetantur: vel etiam priuatim haberi domiã Christianis, ne in idololatriam incidant.

C A P. XIII.

*Nullum Idolum, nulliũsue rei imaginẽ esse colendam.*



VIA soli Deo, vt ait Paulus, Inuisibili, Immortali, seu Sapienti, religiosus honos & gloria tribuenda est, I. Tim. I. v. 17. 6. v. 16. idcirco rectẽ concluditur nulli creaturã eum cultum deberi siue prorsus immortalis, quales angeli: siue mortali ex parte, quales homines: multòque minus eis creaturis, quã sunt omni ex parte mortales, vt pecora, & bruta animãtia. Ac Angeli quidẽ ipsi boni & cęlestes quãquã sint excellentissimã atq; præstantissimã omniũ Dei creature, se tamẽ adorari vetãt, ac omnino recusant. Ferunt enim indignissimẽ, si quis illis cultus tribuatur à nobis. Apoc. 19. v. 10. 22. v. 9. Homines autem etiam optimi & sanctissimi quique (quales Paulus & Bar-

& Barnabas extiterunt ) iis irascuntur, qui colere eos voluerunt, Actor. 14. v. 14. Quòd si ipsis rebus & personis honos & cultus tribuendus non est, multò minus eorum imaginibus. Sed neque ipsius Christi imagini cultus aut veneratio concedi debet, vti diximus, nedum aliarum rerum, veluti belluarum, Angelorum, hominum Imagini. Ac ne Deus quidem ipse in Imagine omnino vlla ficta colendus est, vt secundo legis diuinæ præcepto prohibetur, Exod. 20. v. 4. Deut. 4. & 5. & infinitis penè aliis sacræ Scripturæ locis, non quòd nullam sui imaginem viuam habeat Deus, de qua hìc non agimus (habet enim Christum Filium vnigenitum, & nos homines) sed quia hoc totum fictitium cultus genus, quod in imagine ficta & mortua Deo præstatur, fictum est, vanum, Dei naturæ contrarium, fallax, Diabolicum. Qua de causa idola siue imagines dicuntur mendacia, & mendacium docere, Hab. 2. v. 18. Nihil esse neque in sese, neque in sua significatione, neque quicquam virium potestatisve habere, 1. Cor. 8. v. 4. 10. v. 19. Atque maledicti sunt non tantùm qui iis fidunt, sed etiam qui ea fabricant & erigunt, vt colantur, & qui tuentur vel fouent eorum cultum, Psal. 115. & 135. 1. Ioan. 5. v. 21. sed & loci ipsi, & tellus, vbi tale crimen admittitur, maledicuntur Hier. 19. & penè indignum est Idoli templù, quod vnquam ad honestos vsus conuertatur ob tanti criminis turpitudinem, vndè nonnunquam est mutatum in publicos secessus ac latrinas, veluti à Iehu, 2. Reg. 10. v. 27. licet nihilominus à

Cap. 14. ISAGOGES CHRISTIANAE

nobis in usus honestos & Deo etiã sacros retineri possint templa purgata ab Idololatria. Viui quidẽ homines ab hominibus viuis propter huius ciuilibus societatis conseruationẽ, & munia, quã in ea societate ex voluntate Dei tuenda obeunt, honorari possunt: sed cultu ciuili tantũm. 1. Pet. 2. v. 17: nõ autem cultu religioso, qui nulli omnino creaturã debetur. Imago autem hominum, qui à nobis colũtur, ne ciuili quidem cultu à nobis colenda est, vti neque eorundem calcei, neque vestis ciuili cultu honorãda est. Neque verò quod idololatrã obiiciunt, eos excusat, nempe se non ista Idola (quã sunt ligna & lapides) colere, sed res ipsas, quarũ illa sunt Imagines. Imaginis enim cultus quacunque de causa fiat, damnatus est. Neque tantũm propter ipsam Imaginem, sed etiam quòd diuinã naturã (cui soli Cultus religiosus tribuendus est) omnia cõtraria & pugnantia habet Imago efficta. Nam

	}	Immortalis,
		Æternus,
Deus est		Vita,
		Omnipotens,
		Creator omnium rerum:

	}	Caduca,
Imago verò est		Momentanea,
		Mortua res,
		Iners & inutilis,
		Creatuta Creaturã.

Adeò vt verè Varro scripserit, quẽadmodum illi adstipulatur quoque August. lib. 4. de Ciuitate



uitate Dei ca. 9. eos, qui primi populis simulacra Dei instituerint, Dei metū depſisse, & magnum errorē induxisse. Cassius enim, ait, Dii colerentur, si nulla essent eorum simulacra. Atque ita sentit homo Ethnicus Varro. Theodoretus quoque scribit illud fuisse ab Ethnicis hominibus inductum, quod hodie videmus tamen retentum à Papistis, nimirum ut eum luxum & obscœnitatem statuæ quædam, quæ coluntur, præ se ferat ut castos & pios hominum omnium oculos lædant: præterquam quod quilibet populus pro animi sui arbitrio in imagine Deos fingit sibi similes. Thraces, glaucos, quia eo colore delectantur: Æthiopes, nigros. Verum ut idololatriarum argumento à nobis proposito luculentius adhuc respondeã, dico quã vox illa Imago sit ad aliquid, Imago ipsa per se & propter se coli nõ potest, sed ea tantum ratione, quia re aliã nimirum à nobis absentē, & quæ nõ videtur, representat. Atqui hoc ipsum Idololatria appellatur, siue Deus ipse, siue quicquam aliud in imagine colatur, Exo. 20. ut in Ethicis lib. 2. copiosè ostendimus. Neque eorum errorem defendit, quod obijciunt, se in Idolo colendo non peccare, quia Idolum nihil est, 1. Corinth. 8. vers. 4. & 10. vers. 19. Etsi enim in se nihil est idolum, in eorum tamen animo, mente, ac intentione, qui deuotè & cū conscientia, imò cum opinione numinis ad ea accedunt, Idolum est, ait August. Psa. 113. non tantum aliquid, sed etiam Deus, vel Dei Imago: Atque ita non tam res ipsa in se spectandã est, quàm eorum mens & affectus, qui idola ista venerantur, ac proinde


Cap. 14. ISAGOGES CHRISTIANAE

apparet eos peccare, atque etiam grauissimè. Itaque in eo à propria conscientia iudicantur. Cæterùm Idolorum seruitus, vt ait August. Expof. ad Gal. ca. 5. est summa & vltima animæ scortatio, per quam aduersus Euangelium tam diuturnum bellum olim ab Ethnicis hominibus gestum est, addo etiã hodie geritur à Pontificiis. Ergo homini Christiano fugiendam esse omnem Idololatriam, & omnia, quæ ad cultum idoli fiunt, olent, confirmant, ac illi subseruiunt, docet Tertull. in lib. de Idololatria. Ac ne prætextu quidem vllò, excusatione & exemplo maiorum nostrorū, vel iussu Magistratus, vel quòd idola nō sint Dii, nos in ipsis idoliis. i. Idolorū tēplis interesse cultus gratia posse docet Paulus. 1. Cor. 8. & August. Serm. 6. in Matth. Sed neque valet ea excusatio, Animo ab his idolis abhorreo, licet sim in Idolio præsens corpore. Nam totus in Ecclesia Dei esse debet, Rom. 10. v. 10. Si intus est, quod videt homo, cur foris est, ait August, quod videt Deus? Chrysostomus denique Homil. 6. in Epistolā Pauli ad Roman. irridet eos Christianos, qui putant eam demum esse idololatriam, si quis Veneris, Martis, Bacchi, & similibus figmenti imaginem habeat aut colat, non etiam aliarum rerum, vti hodie hominum vitam inuitorum imagines.

C A P. XV.

*De prima Idolorum origine.*

Cæte-


 Aterum De prima Idolorum origine controuersa quæstio est, id est, A quo primùm & ubi fuerint illa inuenta, & de hoc ipso incerta sententiâ est hominum. Ac certè verum est, puram rectamque pietatem primùm à Deo traditam fuisse Adamo, ab eo deinde ad posteros, donec humani ingenii vanitate & ambitione verus Dei cultus corrumperetur. Postea verò secuta est impietas, & post impietatem nata Idololatria. Atque hoc vitium & malum prius quasdam nationes, quasdam autem tardius inuasit. Varro scribit, testante Augustino, ut diximus, antiquos Romanos plus quàm annos centum & septuaginta, deos suos sine simulacris coluisse: cui consentienter scribit Plinius lib. 34. cap. 4. Natural. Hist. primum simulacrum Romæ æreum Cereri factum ex peculio Spurii Cassii, qui regnum affectarat. Persæ omnino simulacris & semper caruerunt, atque etiam Xerxes quum in Græciam traiecisset, & in Græcorum templis Deorum simulacra vidisset, templa Græcorum cremauit, quòd Diis fieri iniuriam existimaret, ut tradit Cic. lib. 2. de Legib. Scholastici dicunt primam Idololatriæ causam fuisse Dæmones, seu Diabolos, qui suis oraculis fieri idola præceperint. Certè fuit hominum tum infidelitas, tum vanitas prima huius origo mali. In libro Sapiëntiæ autor quidem Idoli non nominatur, probabilis tamè ratio reddita est, ex qua Idola nata videri possunt, Sap. 14. v. 15. Epiphanius Tomo 1. in Tractatu contra Hæreses lib. i. scribit



Cap. 15. ISAGOGES CHRISTIANÆ

natam demum post annū mūdi bis millesimū ætate Tharæ, qui Abrahami pater fuit, Idololatriam, idque se ex veteri patrū traditione accepisse. Quam ille ætatem ἰδωλιολατρίαν appellat. Putat enim ἰδωλιολατρίαν & Græcos tam detestabilis mali primos authores fuisse, atque ab iis ad ceteras mundi nationes emanasse. Certè passim in Epistolis Pauli ἰδωλιολατρίαν nomine gentes & Idololatrias contineri verum est, Rom. 1. v. 16. Tharam quoque & Abrahamum fuisse primū Idololatrias Scriptura testatur Iehos. 24. v. 2. i. antequam singulari Dei misericordia ad verā cultus Dei cognitionē essent traducti. Et postea Laban socer Jacobi Idololatra fuit, Gen. 31. v. 30. Et in ipsa adeò Jacobi familia fuisse aliquam Idololatriæ labem ex veteri cum Mesopotamii consuetudine, apparet Gen. 35. v. 5. Verūm dici potest longè ante Tharæ tempora fuisse & extitisse Idololatriæ vestigia, adeoque potius temporibus Enos, qui fuit filius Seth, & Adami nepos eam pietatis corruptelam ortam & natam circa annum Mundi 230. Gen. 4. v. 26. quæ postea adoleuerit: neque etiam semper à Paulo eam ἰδωλιολατρίαν appellationē & significationē obseruari, vi ἰδωλιολατρίαν pro idololatriis sumat, Rō. 1. v. 14. Col. 3. v. 11. Ab Assyriis igitur potius quā Græcis plenè ortā esse & in Mūdum inuectā Idololatriā credibile est. Id quod etiam apparet ex Danielis cap. 3. post annum Mundi 3400. Qua ætate iam Regum vel Deorum statuarum & simulacra adorabantur, nō tantūm ciuili, sed etiam diuino cultu & honore. Et notant etiam gentiles ipsi à Belo Babyloniarum rege (quē alii esse Nembroth volunt) ex-

cogi-

cogitatum hoc malum, id quod tradit quoque Seruius Honoratus in 1. *Aeneid.* Virg. ad hæc verba, — *Genitor tunc Belus opimam*

*Vastabat Cyprum & victor ditione tenebat.*

Et quòd omnes Gētiles sapè vno τῶν ἰδωλίων nomine appellantur, fit quia totus Oriens. ùc Græcè loquebatur. Ergo qui maximè Iudæis inter Gentiles Idololatræ esse videbantur, ἰδωλῶν erant, vel ἰδωλίων lingua loquebantur. Certè ab ambitiosis & curiosis futilibusque hominibus Græcis maximè aucta est Idololatria, & in certos Canones postea digesta, certisque regulis comprehēsa ab iis, quos Poetas θεολόγους appellabāt, qualis inter eos Orpheus, Linus & Museus fuerunt, qui primi Græcis & Deos, & cuiq; Deo certas suasque ceremonias distribuerunt ac distinxerunt. Cæterùm inter Christianos ipsos fuit viguitque vera religio plus quàm 300. annos, quàm vllè in eorū tēplis & cœtu picturæ vel imagines essent, aut reciperentur. Primus autem earum in tēplis Christianis collocandarum & habendarum autor fuit Paulinus Nolanus Episcopus, vt ipse scribit, idque futili de caussa, vt in templo Christianorum oculos nugatorum pasceret, nimirum. At verò fuerunt imagines prohibitæ, & picturæ quoque inter Christianos (cōcilii Eliberini Can. 35) & in Christianorū tēplis interdixta haberi. Gregorius verò Magnus earum retinendarū autor contrà Serenum Episcopū Massiliēsem ineptissimus fuit, velut aliarū multarū superstitionum, quas vel in Ecclesiam induxit ipse, vel inductas cōfirmavit. Vide & August. lib. 1. de moribus Ecclesiæ Cathol.

*IDOLA siue simulacra utrùm à Christianis frangenda.*

**P**orro quum quæritur, utrùm Idola & Simulacra à Christiano homine tolli frangive debeant, Priuatus à Magistratu distinguendus est. Nam Magistratus, præsertim verò summus, si se Christianum dici, & meritò cenferi vult, Idola publico edicto tollenda, & frangenda esse sanciet, atque non tantùm erectum antea Idolorum cultum euertet & prohibebit, sed omnem etiam in futurum eius mali reminiscendi causam & ansam præcidet. Atque hoc principis summique Magistratus Christiani officium est, vt apparet exemplo Gedeonis iudicis Iud. 6. v. 25. Item Ezechia Regis 2. Reg. 18. v. 4. Item Iosia 2. Reg. 23. v. 4. Atque etiam Constantini magni, qui nõ modo Paganorum templa claudi iussit, sed etiam Idola & simulacra dirui, vt scribit Herm. Sotom. lib. 2. cap. 6. Priuatus autem aut similis priuato in ea re magistratus Christianus (quales sunt non summi, sed summo in suo territorio inferiores) Idola in suo quidem frangere potest, id est, in priuato suo loco: sed in publico loco, aut in alieno etiã priuato fundo & loco frangere ea non debet summo Magistratu vetante. Quid igitur tunc fiet? Respondet Aug. Sermon,



Serm. 6. de verbis Domini secundum Matthæum, & Epist. 129. itémque Ambr. Epist. 31. contra idola tunc est prædicandum, eorum vanitas & malum demonstrandum. Nam ubi Dominus Idolii, id est, loci in quo sunt idola, conqueritur id in suo fieri, & data à summo Magistratu potestas non est, nõ sunt illa à privatis hominibus Christianis, vel inferioribus Magistratibus in alieno solo & loco frangenda. Illa enim sunt primum de cordibus tollenda. Neque acerbè irascendum est iis, quæ Idola per ignorantiam adhuc retinent: sed pro iis orandũ, vt Christiani fiant. Quod verò Dominus præcipit Iudeis vt oĩa idola Chanæorũ frãgerent, & omnis Idololatrię vestigia tollerēt Dent. 12. v. 2. parè rationē hodie in omnibus locis, populis, & privatis non habet. Nam tũc demum iussi sunt Israelitæ ea tollere, postquam illius regionis possessores facti fuerunt, ac non prius, id quod privatorum hominum Christianorũ causam nihil iuvat. Item quod de Iosia proferri potest, 2. Reg. 23. aliam planè rationem habet. Populi enim illius consensu, qui in ea parte terræ promissæ & Deo reservatę habitabat, id à Iosia factum est, id est, idola sunt à Iosia fracta. Ergo neque Israelitæ, neque Iosias, qui eam Dei autoritatem sequebantur, vt privati agebant, sed ex Dei verbo & præcepto in iis locis, in quæ ius & imperium Deus sibi non tantùm vt Deus: sed etiam vt summus Magistratus reservarat: ac proinde summæ maiestatis imperio parebant. Nam

Cap. 16. ISAGOGES CHRISTIANÆ

Deus Iudæorum non tantum vt Deus conscientiam: sed etiam vt Magistratus politiam regebat, & erat inter eos peculiariter quoque summus, vt dixi, magistratus. Alii breuiter respondent, Iosuum in iis tantum locis idolia eueruisse, quæ ad suum imperium pertinebant: Paulus igitur homo priuatus Athenis quanuis etiam animo commotus, & Dei Zelo ardens, tamen in vico Martis idola non confregit, quæ videbat oculis, Act. 17. v. 23. Quanquam vix est, vt quum ea à fidelibus cernuntur, non incallescant illi animo, & Zelo Dei commoueantur. Quum autem Dominus rei & loci, in quo idolum est, permittit, & vult fieri, & potestas frangendi à Magistratu data est, reus ero, ait August. si non fregero. De quo admonere fuit idcirco necesse, ne quis sibi ad imitandum eorum factum proponat, de quibus scribit Euseb. lib. Hist. suæ 8. cap. 5. nempe qui edictum publicum in Christianos à Diocletiano Nicomediæ propositum lacerarunt zelo quidem, sed qui profus non erat secundum scientiam, Rom. 10. v. 2. Iam vero diruta Idola & Idolia vtrum à Christianis restitui debeant? Et laudata est Marcii Aretusii Episcopi constantia, qui ex Constantini edicto sublata à se Idola noluit repopere, ne iubente quidem postea Iuliano Apostata Imperatore. Idem respondetur ab Ambrosio Epist. 29. Sed quum ea sunt à quopiam sublata vel fracta, quæ per principem tollere, & euertere non licet, quia priuata manu & autoritate deiecta fuerunt, sunt, si sic iubeat Prin-

Princeps summus, ex eius, qui diruit, peculio reponenda: quanquam nequaquam propterea sunt Idola ab homine Christiano probanda. Ea igitur cura, siue deponendi, siue restituendi Idoli omnis ad Magistratum pertinet, non autem ad priuatum, ne quis præcipiti animi sui motu in eo feratur. Greg. Mag. Indict. 12. Ep. 23. *vos veri Dei cultores à commissis vobis lapides adorari conspicitis, & tacetis?* alloquens Magistratus, qui se fideles vocabat, & eorū negligentiam in tollendis idolis, & idololatria manifestè, ac meritò quidem accusans, quum per summum Magistratum id ipsis facere liceret.

## CAP. XVII.

*De VERO Dei Cultu, eoque externo in specie.*



ERVS Dei Cultus vel internus est, vel externus. Internus semper fuit, ut diximus, idem.

Externus autem Dei { Vetus, cultus est duplex. { Novus. Vetus Legis ceremonias habuit inter quas fuerunt præcipua Sacrificia. Ergo de Sacrificiis legalib' agendū est. Novus Dei cult' externus est is, qui in prædicatione Euangelii, Sacramentorum administratione, precibus, & aliis rebus Euangelio ad Deam colendum præscriptis continetur. Verum, ut vterque Dei cultus externus distin-



Cap. 17. ISAGOGES CHRISTIANAE

Clarius intelligatur, propono summam quibus in rebus positus sit tum Euangelicus Dei cultus externus: tum etiã Legalis seu Ceremonialis olim fuerit. Ac Euangelicus quidẽ in his quatuor videtur versari, nimirum

- 1 Prædicatione, auditioneque verbi diuini scripti, Matth. 28.
- 2 Eiusdem lectione & priuata & publica, 1. Timoth. 4. Ioan. 5.
- 3 Precibus tum publicis, id est, in publico coetu, tum priuatis, id est, domi & in quaque familia Deo concipiendis, fundendis, & audiendis, 1. Tim. 2. v. 1. 2. Col. 3. v. 16. Act. 6
- 4 In Sacramentorum Noui Testamenti seu à Christo institutorũ celebratione, ac participatione, 1. Corinth. 4. v. 1.

Legalis verò seu Ceremonialis Dei cultus, id est, Externus Dei cultus, qui sub Lege seu Veteri Testamento fuit, videtur quoque in his quatuor fuisse positus, nempe,

1. Sacrificiis, } Ordinariis, quæ fiebant ordinariò in tẽplo à Sacerdotibus.  
} Extraordinariis, vt ab Elia factum est sacrificium.
2. Sacramentis } Ordinariis, vt Circuncisio, & Pesach.  
} Extraordinariis, vt serpens erectus in deserto.
3. Lotionibus tum personarũ, tum aliarum rerum, quò puriores templum ingrederentur, vel domi suæ versarentur. Ergo & ipsæ personæ, & vestimenta eorum, & sæpè domus ipsæ velut

velut leprosa, purgabantur, & lauabantur.

4. Distinctionibus externis à reliquis Gētibus, vt vnus Iudæorum populus verè Dei populus esse intelligeretur. Itæ verò distinctiones posita erāt partim in vestitu qui & habebat fimbrias: partim in victu, quia certis ciborū generibus abstinebāt Iudæi, quatenus facti & Dei populus erant. Cultum enim Iudæorū & discrimen ciborum illis præceptū ad legem Ceremonialem, seu Cultum Dei externū tūc temporis institutum refero: non autē ad legē eorum politicam. Porrò multa inter Iudæos fuerūt eadē & Sacrificia & Sacramēta, velut Agnus paschalis, & Hirci illi anniuersarii duo, & omnia illa denique quæ fiebant ad altare sacrificiorum, sed diuersa ratione vtrunque: Sacrificia nimirū erant ratione actionis seu maturationis. Quod enim *sacrificare* Latini dicūt, & Græci *θύειν*, Hebræi dicunt *maḥtare*. i. occidere, non quidem odio, non item ex iniusta causa: sed ex iusta, nec tamen vespendi gratia, Act. 10. v. 13. sed Dei colendi, reatūque sui coram eo publicè testandi causa. Ergo ea Sacrificia ob istam rationem dicuntur. Sacramēta verò eadem dicta sunt, ratione significationis & finis, quoniam illa Christum futurum, eiusque dona salutaria significabant Iudæis ac representabant. Breuiores verò erimus in veteri cultu Dei externo explicando, propterea quod Caluinus in Harm. 4. librorū Moſis, & Beza in Lege Dei à se collecta illū cultū ordine & methodicè tradiderūt. Cōsistit autē tota illi tractatio in horū sex capitū explanatione.

- Népe {
- 1 Quæ res offerri debuerint, vel fieri.
  - 2 Cui offerri, vel fieri.
  - 3 A quibus offerri, vel fieri, vtrum à Populo, priuatis, Magistratu, vel toto populo simul, vel à Sacerdotib' solis.
  - 4 Vbi offerri, vel fieri.
  - 5 Quando offerri, vel fieri.
  - 6 Quomodo offerri, id est, quo ritu.

Sed nos hîc tantùm breuiter de sacrificiis agemus, quæ fuerunt præcipua illius veteris & ceremonialis cultus Dei pars. Templum fuit apud Iudæos pignus singularis Dei erga ipsos fauoris, sacramentum corporis Christi, & signum extraordinariæ Dei præsentia: imò etiam velut pignus illius sacrae & mutuae Dei & Iudæorum inter se coniunctionis incontaminanda Hebr. 9. vnionis item fidei inter ipsos Iudæos fuit signum. Sacerdos Magnus fuit typ' Christi vnici nostri coram Deo Mediatoris. Heb. 8. & qui ornatus in eius sacerdotibus vestibus requirebatur, erat internæ illius sanctitatis & thesaurorū ( qui in Christo homine sunt, Col. 2. ) symbolum & significatio: itémque illius internæ sanctitatis, quæ ab ipso met summo sacerdote requirebatur, sacramentum & admonitio. Cæremonia & ritus certi fuerunt & in vnoquoque sacrificio offerendo peculiare, Heb. 9. v. 10. vt ex illis singulorū sacrificiorū ritibus cuiusque finis distinctus, ratio & scopus intelligeretur: & vt ex tam multiplici varietate, quæ Iudæis sub Lege præscribatur, intelligeremus, quanta sit nostra iam libertas, & quàm sit leue nostrū onus sub

Euan-



Euangelio, Actor. 15. v. 10. Mat. II. v. 30. Denique ut intelligerent omnes & nos, & Iudæi, quàm graue onus sit peccatum, quod tot ritibus, tot laboribus, tot modis & ceremoniis esset expiandum.

## CAP. XVIII.

*Ac primùm de hac voce SACRIFICIUM.*

**Q**uando cultus Dei olim in veteri Ecclesia sacrificia præcipuè habebat: nunc etiam, qui cultus à nobis Deo exhibetur, sæpe nomine Sacrificii tolet designari, de Sacrificiis agamus. Nam etiam in iis ipsis Gentiles verū Dei cultum, dū suos dæmones colebant, sunt imitati. Ac primùm vox ipsa *Sacrificii*, vnde sit explicetur. Veteres Latini rem sacram & diuinam facere sacrificare dixerunt. Et si enim homo facit sacrificium, atque is quidē mortalis, tamen propter eum cui fit, & finem, propter quē fit sacrificiū, est & appellatur res sacra & diuina. Sacrum à Sacrificio distinguit apud Latinos viri nostræ ætatis eruditiss. Iosephus Scaliger, ollē dicitque in notis suis in Sext. Pōpeiū in voce *Mense*. Nā res diuina, quæ Deo fit in sacro loco, dicitur sacrum, ait ille: at sacrificium etiā in loco non sacro fieri apud Latīnos potest. Nonius Marcellus etiam sacrum quoque dici à Latinis scribit, quod est sceleratū & extra hominum commercium. Inde sacer scurra, auri sacra fames: sacrificare autem ait idem esse, veniam quoque petere. Quæ verò Isidorus lib. 6. Etymologicōn tradit, hīc prætermitto.

Cap. 18. ISAGOGES CHRISTIANAE

Græci verò *θυσία* appellant sacrificium nō *ἄρτο*  
*ἢ θύειν*, vt putat Theophrastus, sed *ἄρτο ἢ θύειν*  
*μαλ' ἔστι*. Nam antiqui homines Græci & Gētilēs,  
 qui primi piē & deuotē *θυσίας* Diis obtulerūt,  
 vt ait Theophrastus, flores & paxillum de-  
 cerpti fœni, aut alicuius alterius rei in terra ge-  
 nitabilis, partem in altum, & cælum eleuabāt,  
 atque Diis offerebāt, postea cremabāt. Itaque  
 à suffitu & thymiamate, thysia appellata sūt,  
 quæ sacrificia dixerunt Latini. Postea autem  
 cœptum est, ait idem, pecudes immolari &  
 iugulari, quod inuētum Pythagoras grauiter  
 reprehendebat, vt scribit Ouid. lib. 15. Metam.

*Nec satis est, quod tale nefas cōmittitur, ipsos  
 Inscriptere Deos sceleris, nomēque supernum  
 Cede laboriferi credunt gaudere iuueni.* Sed  
 ille ipse vnde & cur primū, & à quo institu-  
 ta essent pecudum sacrificia & mactationes  
 non intellexit. Hebræi autem primū in ge-  
 nere vocant *מזבח*, id est mactare, quod Latini  
 sacrificare, & Græci *θύειν* dicunt. Differt autē  
 à *מזבח* quod est simpliciter iugulare. Nam Za-  
 bach est etiam iugulatam hostiam immolare  
 Deo vel Idolis: sed Iudæi variis quoque no-  
 minibus sacrificia appellant, atque vnūquod-  
 que eorum genus suo & proprio nomine di-  
 stinguunt, quod nulla gens alia potest. Vti e-  
 nim vero Dei cultu, verāque pietate reliquas  
 mundi nationes superarunt, imò solum verum  
 Dei veri cultū ab ipso traditū habuerūt, ita &  
 nominibus & appellationibus propriis cultui  
 & religioni Dei abundant. A ritu autē sacrifi-  
 cantium

antium & offerentium, qui in cælum suum munus eleuabant, tanquam ipsi Deo porrigerent, dixerunt sacrificium, תרומה nonnunquam.

## CAP. XIX.

*Quid sit Sacrificium.*

**V**TI Sacrificii vox & significatio latissima est, ita generalissima eius definitio sit oportet. Est igitur sacrificium omne opus quod agitur, vt sancta societate Deo inhaereamus. Ergo referri debet ad eum finem, quo verè beati esse possumus, vt sit legitimum sacrificium, debetque nos Deo coniungere, non autem diabolo. Vnde paganorum & gentilium sacrificia merito damnantur, per quæ inuitur societas cum demonibus, I. Corinth. 10. v. 20. Deut. 32. v. 17. Item sacrificium est opus nostrum, quod Deus ipse exigit sibi à nobis dari & offerri. Itaque qui sacrificat Deo donat, & cū ad se inuitat. Qua ratione Sacrificia à Sacramētis differunt, quòd sacrificantes Deo offerimus, de eo ipso videlicet quod Deus ipse nobis prior dedit, sacramenta celebrantes accipimus ipsi à Deo, quod nobis offert. Ergo quæ differentia est inter dare & accipere, tanta est inter Sacrificium & Sacramentum, I. Cor. 11. v. 14. Rom. 12. v. 1.

Q. iij,



*Quotuplicia Sacrificia, & de variis  
eorum generibus.*

**I**Nfinita sunt penè Sacrificiorum genera, si singula enumerare volumus, quibus seruiuit olim Deo seruitque adhuc Ecclesia: sed facilioris tractationis causa omnia quæ sunt legitima sacrificia in duo genera distinguemus in vniuersum, itém-  
 que in ea quibus { Vetus olim Ecclesia vsa est:  
 Noua & Christiana Ecclesia etiãmnũ hodiẽ vitur, de quibus est ordine dicendum, & sigillatim.

C A P. XXI.

*De Sacrificiis, quibus vetus Dei Ecclesia vsa est & à quibus offerebantur.*

**V**IA igitur aliis sacrificiis in Deo piẽ colendo vetus Dei Ecclesia est vsa, quàm quibus hodie licet, primum de iis tractemus, quæ in veteri & Iudæorũ Ecclesia Deus à populo suo sibi dari exigebat. Ac quia futurum venturumque Christum illi expectabant (ad cuius aduentum vsque sub pædagogia Iudæi continebantur, & Chirographis suã ad mortem æternam condemnationem testabantur, Col. 2. v. 14. Gal.

Gal. 3. v. 24.) idcirco pluribus & rudioribus pietatis exercitiis, tanquã infans adhuc populus, Ecclesia egebat, & à Deo quasi pro puerili populi captu instruebatur, Gal. 4. Itaq; habuit multa & diversa suæ cum Deo reconciliationis & pacis testimonia & pignora. Quæ pax quia sine morte & sanguine apud Deum quæri neque potest, neque potuit ( est enim mors peccati merces Rom. 6. v. 23. ) idcirco ea sacrificia habuerunt Iudæi, quæ veram mactationem & sanguinis effusionem requirebant, quoniam adhuc erat futura Christi mors: quibus hodiè post Christi adventũ & mortem nobis vti nequaquam licet. Reliqua quidem sacrificia, quibus etiam hodie Deo placemus, etiam vetus Ecclesia habuit (quales Psalmi, Eleemosynæ, & Gratiarum actiones) sed nos hic ea tantũ persequimur, in quibus nos ab illis diuersi sumus. Illa igitur quanquam non omnia mactationes & immolationes erãt. Nam Suffitus seu Thymiamata, & alias Oblationes Hebræi veteres habuere, in quibus à nobis differunt) vno tamen Sacrificii nomine sæpè hæc omnia appellabuntur, quia Latinis generalis eius significatio est. Cæterũ illa quæ generaliter dicuntur Sacrificia veteris Ecclesiæ, non vnus generis & modi erant: sed distingui dupliciter possunt. Ac primũ quidem sic ex re ipsa, quæ offerebatur, formæque sacrificiũ, sacrificia distinguuntur, vt alia

Q. iiii.

Cap. 2 I. ISAGOGES CHRISTIANAE

appellen- }  
tur }  
1. Θυσίαι maētationes,  
2. Θυμιάματα suffitus,  
3. Σπονδαὶ libatiōes seu libamina,  
4. Προσφοραὶ oblationes.

Ac θυσίαι quidem }  
erant duplicis ge- }  
neris: alia enim }  
erant }  
Θυσίαι simpliciter sacrifi-  
cia, siue immolationes,  
ἐ quibus aliqua partes,  
vti armus & pectus agi-  
tationis & eleuationis,  
restabant nec cremaban-  
tur.  
Ὁλοκαυτώματα, siue καρτώσεις,  
holocausta.

In genere igitur θυσία est sacrificium seu ma-  
ctatio victimæ à Deo fieri præceptæ ad ipsius  
honorem. Simplicia sacrificia appello, quæ  
nullo alio proprio nomine appellantur, vt ὀλο-  
καυτώματα: sed erāt immolationes pecudū prout  
lege Dei facere licebat, & populos id iubeba-  
tur: ex quarum partibus etiam ipsi offerentes  
in templo coram Deo epulabantur. Hoc ita-  
que nomine vocantur omnes omnium anima-  
lium, quæ sacrificare licuit, immolationes, vbi  
tota hostia non adurebatur, sed pars quædam  
vel sacerdoti Deo operanti, vel ipsis offerenti-  
bus ex Dei iussa, & legis præscriptione serua-  
batur. Porro θυσίαι illæ siue immolationes om-  
nes fiebant super altari æneo sacrificiorum.  
Ὁλοκαυτώματα, id est, holocausta, sunt ea sacrifi-  
cia, in quibus iugularæ pecudes ex Dei præ-  
scripto totæ ac prorsus adolebantur, adure-  
banturque super hoc eodem altari. Hoc sacri-  
ficiorum



ficiorum dicebatur Hebraicè *golab* Holocauftum, quia totū euanescebat, & ascende-  
bat in cælum per fumos, in quos redigebatur, quia to-  
tum cremabatur. *Ομίδματα* sunt suffitus, & a-  
romata, & quædam rerū, quæ anima carēt, ob-  
lationes, quæ in altari Thymiamaris adolebā-  
tur, quarū rerū nidorē sibi gratū esse testaba-  
tur in lege Dominus. Fuit enim aliud thymia-  
matū, aliud sacrificiorū altare. *Σπονδαί*. i. liba-  
mina sunt liquores & conspersiones, uti vi-  
num, similia, oleūque, quæ in altare, & caput  
victimæ immolandę infundebātur à sacerdo-  
te, iussu Dei, ut illi gratum esset sacrificium.

*Πεσοφαί*. i. oblationes, quæ ab Hebræis Min-  
cha vocantur, sunt rerum quidem inanimata-  
rum dona Deo oblata, sed quæ in altari sacri-  
ficatorū vel tota, vel ex parte adurebantur. Sunt  
verò hæc sacrificia farinacea, uti Lagana, &  
Placentæ, aut Primitiæ.

Alia autem Sacrificiorū diuisio est ex cau-  
sa, propter quam fiunt Deo, id est, ex fine pro-  
pter quem offeruntur: vnde sacrificia

alia sunt { Expiatoria, *ἱλαστήρια*.  
Eucharistica, *εὐχαριστικά*.

At Expiatoria quidem (quia, ut cum Deo recō-  
ciliarētur Fideles, fiebant) omnia sanguinis ef-  
fusionem requirebant. Nulla enim fit sine san-  
guine cū Deo cōciliatio nostra, neque pecca-  
torum remissio, Heb. 9. v. 22. Illa autem expia-  
toria sacrificia fiebant in veteri Ecclesia (ut &  
Eucharistica quoque

Cap. 21. ISAGOGES CHRISTIANAE

vel } Totius populi & Ecclesiæ Deo recon-  
 ciliandæ causâ:  
 Vnius alicuius hominis, qui esset mem-  
 brum Ecclesiæ, vt ex Leuit. cap. 4. col-  
 ligi potest, eratque & is vel } Sacerdos,  
 Rex,  
 Priuatus.

Nam poterant offerri sacrificia siue Expiatoria siue Eucharistica tantum ab iis, qui erant membra Ecclesiæ, Leuit. 22. vers. 25. Ab eius autem manu, qui esset *ἕτερος*, i. alienus ab Ecclesia, non accipiebatur sacrificium à sacerdote. Poterat nihilominus ab Ecclesia tota, vel à membro Ecclesiæ sacrificium offerri Deo pro salute & prosperitate extranei & infidelis hominis, atque etiam ipsius sumptu vt apparet, Esdr. 6. v. 10. Iosephus lib. 2. de Bello Iudaico cap. 17. scribit fuisse in templo ipso sacrificium à sacerdotibus pro salute Cæsarū Romanorum. Eucharistica autē duntaxat pro iis qui non erāt Ecclesiæ mēbra, potuisse offerri Deo ab Ecclesia puto: Expiatoria verò sacrificia nō puto potuisse offerri. Cæterum illa expiatoria offeruntur } Pro peccato ab eo cōmisso,  
 in vniuersū vel } qui offert,  
 } Pro delicto:

Græci dicunt, vt veteres 70. interpretes, *πρὸς τῆς ἀμαρτίας*, & *πρὸς τῆς πλημμελείας*. Hebræi autem suis verbis, atque iis propriis dicunt, *חַטּוֹת* & *פְּשָׁעִים*. Kimchi facit discrimen inter has voces *anot*, quas dicit esse iniquitates, quæ destinatò committuntur, *חַטּוֹת Chataim* i. peccata quæ sunt propriè errata, per errorem admissa, Leuit. 4. v. 2. & *Peschaim*. i. rebelliones

seu præuaricationes obstinatam in peccando peruicaciã demonstrãtes. Quid autẽ verba hæc *Haascham* & *Cathah* significant, quibus vtitur Scriptura in horũ sacrificiorũ causis exponẽdis ipse dicam. In quõ veniam tamẽ mihi dari postulo ab omnibus. Nam liberam cuique suã relinquo sententiam. Quid hĩc peccatum, quid hĩc delictum vocetur, & quomodo sint distinguenda hæc duo vocabula, non tam mihi videtur ex Latinis & Græcis, quã ex ipsis Hebræis discendum. sæpẽ enim duæ illæ voces etiam in Scriptura cõfunduntur, sæpẽ etiam distinguuntur, vt hoc loco.

Quidam autem existimant  $\alpha\upsilon\tau\eta$  (quod Græci  $\alpha\iota\mu\alpha\rho\tau\iota\alpha\upsilon$ , Latini peccatum dixerunt) nomine grauiora scelera contineri. Voce autem  $\alpha\upsilon\tau\eta$  (quod Græci vertunt  $\alpha\lambda\eta\mu\iota\lambda\epsilon\iota\alpha\upsilon$ , Latini verò delictum) minora & leuiora crimina in Deum & in homines. Ego contrã sentio, nempẽ vocabulo *Haascham* grauissima quæque peccata significari: vt voce *Cathah* leuiora peccata seu delicta. Atq; meæ sententiæ hæc duplex ratio est. Prima, quòd pro *Haascham* victima masculinũ, nõ autẽ fœmina offerri poterat. At pro *Cathah* & peccato etiam fœmina poterat offerri. Apparet ex Levitic. cap. 5. v. 14. Vnde grauius fuisse crimẽ in Deũ oportet, quod maiori pretio æstimabatur, & maiori victima expiabatur. Secũda autẽ ratio est, quòd Christus factus dicitur pro nobis *Haascham* ab *Esaia* ca. 53. Quo noĩe teterrimi sceleris & grauissimi pro nobis pœnã luĩsse, & hostiã factũ cum esse demonstrari certũ est. Ad quẽ autem huius rei diiudicatio pertinuerit, vtrum factũ, pro quo



Cap. 21. ISAGOGES CHRISTIANAE  
 offerretur, esset Haaschâ, an Cathah, & nimirum essetne ab eo, qui offerebat, hostia pro peccato, an pro delicto offerenda. Existimo iudiciū eius rei positum fuisse in libera cuiusq; offerētis, nō autē ipsius sacerdotis æstimatione, & cōscientia, vtrum suum factū Cathah, an verò potius Haascham existimaret & esse censeret. Vti enim volens & nō coactus pro eo offerebat, ita seipsū diiudicās æstimabat sibi esse vel pro suo Cathate, vel pro suo Haaschmate sacrificiādū. Neq; enim hæc sacrificia indicta esse cuiquā loco pœnæ à Magistratu: vel publicæ pœnitentiæ à Sacerdote puto, sed ab vnoquoq; suscepta, prout Dei Spiritu int<sup>o</sup> agebatur, & sceleris sui metu, & cōsciētia pprię iudicio impellebatur. Et hæc quidē de Sacrificiis Expiatoriis.

Eucharisticum autem (Græca enim vox est *εὐχαριστικόν*) quæ Hebræis dicitur *Leuit. 7. v. 11. נָחַת מִלֶּחֶם* .i. sacrificium pacificum seu prosperitatum, multis de causis fiebat. Siue enim quid à Deo lætum prosperūque petendum erat priuatim vel publice: siue beneficii à Deo accepti priuatim, itēque publicè, nomine gratiæ agendæ essent: siue suam pietatem profitebantur: siue vota sua faciebant & persolvebant, fiebat sacrificium eucharisticum. i. gratiarum actionis. Vnde ad hoc genus sacrificii votorum persolutiones, primitiæ, & decimæ, quæ Deo offerebantur, referri possunt, & quæcunque alia ex priuata animi sui pietate quisque Deo offerebat. Huius autem sacrificii Eucharistici fuit genus duplex.

Nam aliud } Cruentū, in quo erat sanguinis  
 fuit } effusio, *Leuit. 2. & 3. & 7.*  
 } Nō cruentum, in quo res inani-

mes offerēbantur, vt simila, oleum, vinum, liba siue placenta. Atque hoc postremum genus sacrificii Eucharistici suo & proprio nomine ab Hebræis dicebatur, vti monuimus, חֲנֻמִּים, i. sacrificium seu donarium Farinaceum. Et ista quidem tam varia Deus ordinauerat olim Iudæis nō propter suā vllam *ἁδυναμίαν*, aut inopiam, aut gustum : sed propter humanam fragilitatem ac duritiē, quemadmodū Chrysost. ait Hom. 5. de Laudibus Pauli, nimirum vt in officio homines continerentur, & de suis peccatis multis diuersisque modis admonerētur.

## CAP. XXII.

*Cur veteri Ecclesie Deus cruenta & non cruenta sacrificia olim dedit.*

**P**lusquàm profana sententia est, si quis existimet Deum cæde & sanguine pecudū per se delectatū esse, ideoque illa cruenta sacrificia exigisse à populo. Nam ne ipse quidē Pythagoras homo profanus credidit Deos cæde animalium gaudere: & illa sanguinis siue humani, siue beluini appetitio plus quàm pecuinam crudelitatem sapit, innatamque eorum animis arguit, qui huiusmodi rebus delectantur. Quod vitium in gentilibus hominibus velut Cyro Persarum rege, Caligula, Claudio, & Nerone Cæsaribus reprehensum est, nedum in Deo. Item plus quàm gentilis blasphemia est, si quis putet Deum nidore pinguedinum Isa. 66. v. 3. quę in altari adolebantur, per se fuisse recreatum, quem terrum nidorem nemo nostrum patienter ferre potest: vel denique suffitu, vel odo re

Cap. 22. ISAGOGES CHRISTIANAE

vini, & thymiamatis incensi nutritum fuisse, et si sacrificia dicuntur panis Dei, Leuit. 22. v. 25. & idcirco postulasse nidores sibi fieri, Isa. 1. v. 13. eaque sacrificia non cruenta à populo exegisse. Non eget enim villo victu Deus, neque etiam, si quo egeret, à nobis emendicaret, Psal. 50. v. 12. Quamobrem alterius cuiusdam rei maioris, sanctiorisque respectu & gratia omnia illa sacrificia sibi offerri, ac grata esse Deus testabatur. Vnde in omnibus sacrificiis salem adhiberi volit, Leuit. 2. v. 13. vt indicaret alieno, non autem proprio sapore & gratia illa sacrificia omnia sibi commendari. Quare igitur illa veteri præcepit Ecclesiæ Deus? Veteres Scriptores Ecclesiastici duas causas afferunt è quibus Prima hæc est, vt se Deus his caeremoniis, & hoc cultu à Diis gentium discerneret. Et si enim Diis gentium sacrificabatur, tamen neque iisdem victimis, neque eodem ritu, quo vero Deo. Imò verò etiam Deus voluit, vt quæ Iudæi summo in honore apud Ægyptios esse viderant, ea spernerent, neue sibi immolarent, interdixit, vt i feles, crocodilos. Secunda causa est, vt Iustinus Martyr tradit, ne ipsi Iudæi Idolis sacrificare assuescerent, more cæterarum Gentiũ sibi vicinarum. Ergo & ipsi sua sacrificia haberent, quibus seruirent Deo. Verum melius & apertius dici potest, duabus de causis sacrificia à Deo esse primum in Ecclesia instituta. Primum quidem, vt in illis pietatis suæ & diuini cultus exercitia haberent pii homines. Fuerunt quidem illa tanquam rudiora sanctitatis internæ elementa, sed tamen rudi ad-  
huc



huc & infanti Ecclesiæ necessaria, atque Sacramenta, & documenta diuinæ voluntatis, quæ eos sanctos & puros, & integros, plenosque fide sibi poscebat. Secundo autem, vt de futuro Mediatore Ecclesia admoneretur, cuius voluntario sacrificio & morte peccata expiantur & dimittuntur apud Deum. Est autem is Iesus Christus, cuius sanguis suo tempore semel effundendus erat, vt Deo Ecclesia reconciliaretur. Ergo huius sacrificij futuri illa antiqua in lege Mosis instituta signa & sacramenta erant, Heb. 9. v. 15. 10. v. 9. Non erat igitur absurdum quod hominibus Iudicium mortis, cui sunt per peccatum obnoxii, subiiceretur ante oculos, & per sacrificia, quæ ipsi offerebant, se eo iudicio dignos esse cognoscerent. Sed loco ipsorum hominum reorum subiiciebatur hostia, quæ occidebatur, donec veniret, qui mortem suam nos omniaque nostra peccata redimeret, nimirum Iesus Christus, 1. Ioan. 2. v. 2. Atque hæc mens & hic finis fuit veterum legis sacrificiorum, vt Christum Col. 1. v. 10. 1. Cor. 1. v. 30. moriturum pro peccatis nostris testarentur. Vnde ex eo fine potissimum à sacrificijs paganorum differebant. Paganorum enim sacrificia meræ cædes & superstitiones erant, quæ displicebant Deo, quia in fidem venturi Christi non fiebant. At illa Ecclesiæ sacrificia fiebant, & in spem futuri Messiae seu Christi, Heb. 11. Neque enim ex opere operato, quod vocant, illa valuerunt, Isa. 1. & 66. neque ipsa per se peccati nostri satisfactiones erant, Heb. 9. v. 9. sed in vim futuri Christi sacrificij opera-

Cap. 22. ISAGOGES CHRISTIANÆ

bantur, & Deo commendabantur, Hebr. 9. v. 23. Apoc. 13. v. 8. Neque verò ciuilitè & carnaliter illa sacrificia Iudæos purgabant. i. eximebant à pœna ciuili & politica si quam meriti erant propter sua peccata: sed spiritualiter tantùm eos iuuabant, quoniam erant diuinę promissionis & peccatorum remissionis (quæ est per Christum) sacramenta. Ergo certam veniæ fiduciam patres in iis symbolis à Deo habebant accipiebantque. Itaque dicuntur sacramentaliter expiassè coram Ichouah, Leuit. 6. v. 7. He. 9. v. 13. Nam ab ipso in lege ad eum finè erant instituta, vt essent gratiæ remissionis peccatorum, & suæ erga Ecclesiam promissionis tesseræ, sacramenta, & symbola certissima. Quin imò etiam, ante legem qui sacrificarunt, & iuxta Dei voluntatem id fecerunt, fidem quoque in futurum Messiam Christum habuerunt. Ergo dicitur Abel fide sacrificasse Heb. 11. v. 4. Nam quod offerebat, gratum alioqui Deo esse non potuisset, si præter eius verbum & voluntatem Abel sacrificasset, & nisi Christi Mediatoris respectu, qui venturus erat obtulisset, salutem in eo sperans, Gen 49. v. 18. 1. Sam. 15. v. 22. Fuit igitur & Abelis & Noæ & Abrahami mens ante legem edocta informataque legitimum Dei cultum in sacrificiis consistere, quæ promissum Christum, id est, venturum Mediatorem designabant. Itaque in fide sacrificarunt. Quanquã autem non legimus nominatim sic ante legem cuiquam præceptum esse à Deo *Sacrificia mihic*: tamè id colligimus

mus, vel ex eo, quod Euangelium & gratia Dei de fide in fidem, & ætate in ætatem semper reuelata fuit, Rom. I. v. 17. Et Deus eum cultum sibi placere testatus est ipsis patribus, & ipse postea approbavit lege sua. Gen. 22. v. 2. 13. 12. v. 8. 35. v. 14. Quare verè dicitur fuisse illis præceptum à Deo, vt sacrificarent, sicque eum colerent. Nam & per visiones, & per colloquia cum Deo, & quasi de manu in manum tradendo à primo patre Adamo, ritum hunc sacrificandi acceperunt, & legitimum pro eo tẽpore fuisse Dei cultũ intellexerunt. Vtunque certè à Deo hoc patribus innotuisse certissimè constat ex Epist. ad Hebræos tota cap. II.

## CAP. XXIII.

*Summatim De Rebus, quæ tum in Sacrificiis, tum in Oblationibus offerri Deo ex ipsius Verbo potuerunt sub veteri Testamento.*

**D**Vplex in vniuersum genus cõstitui potest Oblationis, quæ ex veteris legis præscripto fiebat Deo. Ac in genere Oblatio ab Hebræis dicitur Qarban, cuius faciunt ex lege Dei species duas, nimirũ Zebach propriè *Sacrificium*, & Minchah, vt diximus. i. Donatiuũ seu oblatio farinacea, quæ etiã appellatur nonnunquã generaliter Sacrificiũ. De Thymiamatis, quæ Deo offerebantur, nihil hoc loco agimus. Nã quòd iidem Hebræi distinguũt quoque sacrificia in ignita, id est, quæ igni admouentur, & iniiciũtur: & non ignita, quæ non imponũtur



Cap. 23. ISAGOGES CHRISTIANAE

igni seu foco, rectè quidè distribuunt, vt apparet ex Num. c. 15. Sed magis ad res eas, quæ offeriebantur, explicandas apta videtur prior diuisio. Ergo Zebach nomine Sacrificia propriè dicta sunt, Oblationes Deo factæ rerû animatarû, veluti Quadrupedû & Auiû ex ipsi<sup>9</sup> Dei iussu. Mincha verò seu Oblationes propriè dictæ sût dona quoq; Deo oblata, sed rerû inanimatarû, ex ipsi<sup>9</sup> itidè Dei præscripto. Iã verò in sacrificiis Animalia quæ Deo pro diuersa sacrificii ratione, offerri debuerunt, fuerunt partim Quadrupeda Animalia, partim Aues. Pisces enim Deus noluit sibi offerri, non quòd & Pisces quoque non condiderit, sed tû quòd extra aquã non viuât (nihil autè mortuû ex animalibus offerri sibi Deus velit) tû etiã, quòd ex Serpentû genere censesur Pisces. Serpentû autè genus vniuersum quodãmodo damnatû est à Deo, propterea quòd per serpentè deceptus fuerit homo, fuitque serpens organû Diaboli, Gen. 3. Nec verò more Latinorum hîc Serpètes ab Anguibus distinguimus. (Nam hî Latinis aquei sunt, illi terreni) Nam Anguibus quàm serpentibus similiore videtur pisces. Quû igitur sint eiusdem generis Pisces, cuius & serpètes maledicti à Deo, Gen. 3. noluit Deus illud animaliu genus adhiberi in factis sacrîsq; rebus, ac sacrificiis suis. Verùm tamen Gentiles Diis suis sacrificarunt quoque pisces, vt & reliqua animalium genera. Vnde Deus Syrorû & Palæstinorû fuit Dagon, dictus à similitudine piscis, qua pingebatur, & à

Piscibus,

Piscibus, qui illi offerebatur quoque in sacrificiis. Deus igitur duntaxat quadrupeda (quæ sunt perfectissima animalium genera) & Aves sibi in sacrificiis offerri voluit. Ac quidẽ Quadrupeda trium generũ, nempe ex Armẽris siue ex maioribus pecoribus, *Boves, Vaccas, Vitulos.* Leuit. 1. v. 22. Hoc genus vocant Hebræi generaliter Bakar. i. Maiores hostias & pecudes, De Tauris autem offerendis nihil nominatim præceptum videmus in Lege Dei (licet Taurus dicatur apud Latinos maior hostia) quoniam est ferox animal, nec valde simile Christo, nisi propter robur: vnde Taurus faciliẽ tractari ac mactari sine periculo hominũ non potest. Tamen quũ in Epistola ad Hebr. 9. v. 13. c. 10. v. 4. inter legitimas sacrificiorũ victimas enumerẽtur Tauri, non dubito quin it quoque legitimẽ offerri Deo potuerint, sed in extraordinariis, ac solennioribus primũ maioribusque sacrificiis ac solennitatibus. Nam Deus præcepit Gedeoni vt sibi Taurũ septem offerret, Iud. 6. v. 25. in deducenda arca in Coronatione Regis Solomonis Tauri sacrificati sũt. i. Paralip. 15. v. 26. 29. v. 21. & aliis locis. Quod exemplum alii postea sunt imitati. Secundo loco de minoribus pecudibus (quas Hebræi vocat Tson generaliter, Num. 15. v. 3.) etiã sibi quadrupedes pecudes offerri voluit. Ille verò sunt duplicis generis, nẽpe vel Oves, vel Capræ, Leu. 3. & 6. & 22. Ac quidẽ de ouĩũ genere (quæ speciali nomine dicũtur Tsaon) victimæ esse possunt pro ratione à Deo præscripta, *Ovis ipsa, Agnus, Agna, Aries.* Leuit. 5.

Cap. 23. ISAGOGES CHRISTIANÆ

De Capris autem, aut caprino genere (quod  
 ty *Ghez* dicitur) victimæ quoque offerri pos-  
 sunt ex sacrificii lege à Deo præscripta, *Caper,*  
 seu *Hædus, Hircus, Capra.* Capræ autē, *Rupi-*  
*capræ, Cerui* aut *Damæ* (licet isti cicurari pos-  
 sint) non offeruntur Deo in sacrificiis pro vi-  
 ctima, quoniã ista sũt natura genera animalium  
 fera, & indomita, quæ nihil cum Christi (quæ  
 sacrificia repræsentabãt) mansuetudine habet  
 commune. Porro de Avium genere offerri in  
 sacrificiis poterant duntaxat *Turtures,* & *Co-*  
*lumbi,* mitissimæ avium species, *Leuit. i. v. 14.*  
 Reliquæ enim vel feræ, vel immundæ cen-  
 sebantur ex Dei ipsius definitione. Cæterum  
 siue victimæ ex quadrupedib<sup>9</sup>, siue ex Avibus  
 offerrentur, hæc quatuor observari oportuit.

Primum, ut victima viua offerretur ab eo  
 qui eã donabat Deo. Nã eam viua adducebat  
 usque ad ostiũ tabernaculi, aut atrii Tẽpli in  
 quo erat altare Holocaustorũ, non autē mor-  
 tua, quoniã erat mactãda Deo. Res autē mor-  
 tua mactari non potest. Repræsentabat enim  
 moriturũ pro peccatoribus Christũ authore  
 vitæ. Item erat observandum, ut eadẽ victima  
 esset integra, nõ autem aliquo mẽbro natura  
 carens, aut aliquo casu priuata: Ut esset imma-  
 culata, non vit. osa: Sana, non contusa, *Leu. 22.*  
 & *Malach. 3.* quoniam repræsentabat Christũ  
 perfectissimam & mundissimam hostiã mũdi,  
 in quo nihil fractũ, aut mancũ fuit. Puto verò  
 hostias quæ offerretur fuisse perspectas ac vi-  
 sitatas à Sacerdotib<sup>9</sup> in ostio Tabernaculi, seu  
 Atrii, vbi erat Altare Holocaustorũ, ut si qua  
 esset in eis labes huiusmodi, reicerentur, nisi



quū post reditū à captiuitate Babylonica propter ipsorū sacerdotū auaritiā aut inopiam illud examen oblatae victimae prætermittebatur, Mal. 3. Deut. 15. v. 21. Et hæc quidem de sacrificiis ac victimis, quæ tū ex Quadrupedum, tum ex Avium genere Deo in sacrificiis offerebantur. Quod Papistæ sacrificali in suo Deo & crustulo panaceo nūc obseruant. Nam diligenter perspiciunt, num quid fractum in eo sit, quia vetera illa legis sacrificia nobis homines isti reponunt.

Veniamus ad Oblationes (quæ Minchæ nomine vocātur ab Hebræis.) Illæ verò ex rebus inanimatis fiebāt ac offerebātur Deo: Nempè ex Primitiis: vel ex Simila. i. purissima farina, eaque vel cruda: vel pista, formata, ac cocta. Si Primitiæ offerebantur, fiebat ex iis torta, quæ offerebatur Deo, & adolebatur. Si simila cruda offerebatur Deo, oleum illi superfundebatur, ac thus simul cum ea apponebatur, Leuit. 2. nempè quò suavis esset odor istius similæ, alioqui per sese Deo insipidæ. Sic igitur illa cōdita igne adolebantur: vt indicaretur nullum sacrificium nostrum per sese Deo placere, nisi aliena. i. Christi (qui olei & Thuris symbolis significabatur) gratia commendaretur ac cōdiretur. Quum verò simila pista vel cocta offerebatur Deo, fiebant ex ea vel Placentæ, seu Liba, vel Lagana, idque vel in furno, vel in sartagine, vel in cacabo. Tot enim modis confici poterant, id est, quot modis homines sibi ipsis cibos parāt ex simila, iisdem voluit Deus sibi quoque oblationes ex ea offerri posse, vt

### Cap. 23. ISAGOGES CHRISTIANAE

ostenderet suam cum hominibus familiaritatem, & quasi penè eodem cum illis cibo vesceretur. Sacrificia enim etiam cibus Dei vocatur Leu. 22. v. 25. Ac quidem Placentæ dicuntur Chalal, quòd essent crustula rotunda & leuia, quam formam imitati sunt Papistæ sacrificuli, in suo deo panaceo. Hæ miscbântur oleo, dum fiebant. Lagana autem vocantur *Rakikà* tenuitate: ungebantur autem oleo iam facta. Leuit. 2. & 7. In his autem vtrisque erat obseruandum. Primum vt vtraque ex Simila fermentata fierent, non autem fermentata. Leuit. 2. v. 11. 7. v. 12. Deinde ne Melle condirentur, aut mellis quiddam adderetur, quia mel est excrementum Apum. Sic autem Placentæ & Lagana facta dicebantur Aridæ oblationes Leuit. 7. v. 10. In Eucharisticis autem sacrificiis, & in Oblatione Primitiarum etiam in ipso templo Dei licebat vesci Fermentato pane, Leuit. 2. vers. 12. Leuit. 7. vers. 13. sed qui Panis tamen nec adolebatur, nec erat oblatio. Nam omnis oblatio similæ fuit fermentata, quoniam Christum repræsentabat, qui omni peccato caruit. Peccatum autem Fermenti nomine & symbolo significatur in S. Scriptura, 1. Corinth. 5. v. 8.

### C A P. XXI III.

#### *Summatim de Ritibus Sacrificiorum.*

Sacri-

**S**acrificiorum varias species colligere licet passim ex S. Scriptura, veluti Leuit. 7. v. 37. aliàs v. 27. 2. Chronic. 30. ver. 3. nempe has, Sacrificium quod dicitur Holocaustum, 2. Mincha, 3. Pro Peccato, 4. pro reatu, 5. Pro consecratione, 6. Pro Eucharistia: quorum sacrificiorum omnium causæ sunt ferè hæ, vt est Leuit. Num. 15. v. 3. Votum, Voluntas libera, Gratiarum actio, Inuocatio, Offensa Dei, Sollemnitas, Ordinarius cultus Dei: tamen infinitum esset hæc singula persequi. Præstat igitur, vt summam omnium sacrificiorum & oblationum generales ritus obseruemus. Ac primum quidem ille fuit generalis ritus, quod omnis victima, quæ Deo offerebatur, ab ipso offerente deducebatur vsque ad ostium Tabernaculi, & illic in Sacerdotis manû tradebatur. Sacerdos autè ipse victimam in atrium adductam ligabat ad cornu altaris, Psal. 118. v. 27. Deinde à sacerdote ipso in illo atrio mactabatur, & igne adolebatur super altare holocaustorum, quod fuit æneum, etsi non semper tota igne consumebatur, Leuit. 1. & 2. Cur autè igne? ratio est. Quoniã ignis fuit symbolum Spiritus illius eterni, in quo sese Deo Patri obtulit Christus, Heb. 9. v. 14. itémque immensorum cruciatuum, quos in animo pro nobis idè Christi pertulit. Quod verò iam sequitur, ad oblationes & victimas cõmuniter & generaliter pertinet, Nèpe vt nulla oblatio vel victima absq; Sale. in nõn nisi prius Sale aspersa à Sacerdote sacrificaretur, aut offerretur Deo, Leuit. 2. v. 13. nimirum vt ostẽ



Cap.24. ISAGOGES CHRISTIANAE

deret Deus quicquid sibi offerretur ab hominibus, illud non proprio vigore & sapore, sed alieno, nempe Christi, gratum esse. Ergo conditura Christi fiebat iucundum & acceptum Deo, Heb. 9. v. 9. 10. v. 4. Marc. 9. v. 50. Col. 4. v. 6. In sacrificiis tamen suis Aegyptii salem prorsus reiciunt, ut tetrum, quemadmodum tradit Plutarchus tū in Oside, tum lib. 5. Symposiac. Quæst. 10. Cæterum in victimis, quæ ex Quadripedibus & Auibus offerebantur, hæc quæ mox dicam, erant peculiariter verbo Dei præscripta fieri. Primum ut quæque victima haberet suum Libamen ex vino, & suam cōspersionem ex Simila, oleoque. Num. 15. Libamen & cōspersione crescebant pro ratione ac magnitudine ipsius victimæ. Si enim victima erat ex maiori pecude, Libamen vini (quod infundebatur in caput inter cornua & frontē victime) erat quoque amplior pars Hhin. i. maioris amphoræ vini Gal. Continet eum Hhin quartam vini Parrisinam. i. Parrisinæ mensuræ. Si erat de minori pecude, aut de Auibus, erat minor quoque pars Hhin. Eodémq; modo de cōspersione, quæ fiebat ex simila in victimā aspersa, itémque ex oleo in eandē superfuso. Amplior enim pars Ephæ de simila capiebatur pro maiori, quā pro minori pecude. Ephæ fuit similis Gallicæ frumētī Minæ Aurelianæ quā vocant, quæ continet duos modios. Libamen verò & cōspersione tanquā accessio sacrificiorum à Deo fuerant adiuncta, ut ostenderet Sacrificia illa nō tantum esse mactationes & effusiones sanguinis. i. ymbra mortis Christi: sed etiā figur

rase eius alimenti, quod ex Christi carne & sanguine pro nobis mactatis percipimus. Item propter sacra cōmunia, quæ post sacrificia fiebant in ipso Dei templo, & extrâ per certa cōtubernia non pauciorum quàm decem virorum, vt scribit Iosephus lib. 7. de bello Iudæico cap. 17. oportuit & de vino (quod in illis bibebatur) & de simila (de qua panis fiebat & edebatur) aliquid nomine primitiarû offerri Deo, quò tota massa sanctificaretur. Cæterum certus cuique sacrificio modus fuit à Deo præscriptus, certaque mensura, ne homines ambitiosè sumptus in iis facerent. Dicitur igitur & Libamē & cōsperisio odor suauitatis Deo. Nū. 15. v. 7. quo tota hostia fit Deo grata. Hūc verò ritū in suis sacrificiis imitati sunt profani homines. Nam mola, eaque falsa. i. placenta, quæ ex farre & simila falsa fiebat, contusâ inter digitos aspergebant victinam astantem ad aras, antequam sacrificaretur. Sextus Pompeius inde Immolare dictum docet, non autem, vt Isidorus, à mole altaris, cui superimponeretur victima cæsa iam & mactata adurenda. Immolare, inquit Festus, est farre molito & sale hostiam perspersam facere. Far molitum idem quod simila fuit. Sale aspergebatur: quoniam sal quoque in sacrificiis, quæ vero Deo fieri viderant, adhibebatur.

Secundo loco in Victimis & Sacrificiis hic ritus erat obseruandus, vt qui offerebat victimam Deo, postquam ad ostium tabernaculi seu templi venisset, eoque suam illam victimam adduxisset, imponeret manum capiti victime,

Cap.24. ISAGOGES CHRISTIANAE

nempè vt indicaret ipse, tum eam à se Deo deuoueri & dari: tum eam ipsam pro se peccatore offerri Deo, & substitui, Leuit.1.v.3.3.v.2.& 8.4.v.15.

Tertio loco hic ritus erat obseruādus in omnibus sacrificiis, vt omnis adeps adoleretur corā Deo, cuiuscunque sacrificii siue Eucharistici, siue Holocauti Leuit.3.v.17.7.v.23. Ratio est, quòd quum adeps sit lasciuiētis & dominātis carnis index, sitque facillima omnium carnis partium adipis corruptio & labes, adeo vt fumus illius sit foetidissimus, Deus voluit adipem sibi adoleri, vt demonstraret hoc symbolo, carnem, carnisque nostræ concupiscētiās esse mortificandas, ac cremandas, sibi que sacrificandas. Denique peccati odorem, cuius symbolum erat adeps, esse coram se teterrimū.

Quarto loco hic quoque ritus erat præscriptus in sacrificiōdo, vt sanguis victimæ in quouis sacrificii genere mactādæ effunderetur totus, nulla autem illius pars ad cibum, aut alium vsum reseruaretur, etiā in iis sacrificiis, in quibus nihilominus ex victimæ partibus quibusdam vesci in templo licebat, Leuit.7.v.26.27.

Quinto loco, vt sic effunderetur, primum vt ipsū altare sanguine victimæ aspergeretur, tanquā primitiis quibusdam: deinde vt reliquum sanguinis circā altare & ad illius basim in circuitu funderetur, Leu.1.& 2.

Sexto loco fuit obseruandum, vt soli Sacerdotes hostias mactarent seu iugularēnt, & mactatas excoriarēt, excoriatasque vel partes carum, vel totas ipsas victimas ( vt in holocautis )



stis) adurendas aqua lauarent, & lautas decen-  
ter igni seu foco super altare æneum (quod fuit  
sacrificiorum causa in tēplo ex Dei iussu) ex-  
structo imponerent, cremariq̄ue curarent, Le-  
uit. 1. 2. Leuitis sacrificia cū offerenda essent  
attingere non licuit, sed alia in templo munia  
obire sunt iussi.

Septimò in Holocaustis præceptum erat, vt  
tota victima (nihil ex eo reseruato) cremaretur  
etiam per totam noctem. In Eucharisticis autē  
præter eas partes, quibus ipsi offerentes in tē-  
plo vescebantur (hoc enim licere Deus voluit,  
& coram se in templo suo animi lætitiā testa-  
ri) reseruabatur armus, & pectus quadrupedis  
victimæ, quæ duæ victimæ partes sacerdoti pro  
suo iure cedebant. Dicebatur autē armus Te-  
nuphah. i. agitationis, quoniam agitabatur, &  
voluebatur ab ipso sacerdote in orbem coram  
Deo, vt indicaretur offerri Domino orbis Le-  
uit. 7. v. 30. & Pectus dicebatur Terumah. i. Ele-  
uationis, quia sursum & deorsum Deo eleua-  
batur à sacerdote tamquā Deo hac ceremonia  
consecratum. Hunc etiam ritum imitati sunt  
Papistæ in eleuatione hostiæ & crustuli sui ro-  
tundi dum faciūt Missam. Nam illud sursum &  
deorsum eleuant: atque in orbem quoque cir-  
cumrotant.

## Quando ea Sacrificia fiebant.

I A M videamus, quando illa sacrificia fiebant.

Fiebant autem vel ex	{ Hominum offerentium arbitrato & voluntate, vi de licet non certa die, vel constituta à Deo, velut	Pro voto	{ Simplici, Anathemate Deut 7.	{ Singulis diebus. Hoc erat iuge sacrificium, quod fiebat singulis diebus, vnna- mane, & vesperi vnum, eo ipso tempore, quo Christus & in cruce sublatu- est, & expirauit:	{ Certa constitutaque die à Deo, nempe vel	{ Certis tantum anni tempori- bus, quæ erant vel	{ Recurrentia in anno vno: & ea fie- bant vel singulis	{ Sabbathis in hebdomada, Mensibus anni. dicuntur <i>septuaginta</i> . i. nouilunia.	{ Anniversaria tem- pora, & semel tantu in anno fiebant. Ea 1 erant quinque solē- 2 nia festa Iudæorum: 3 nimirum festum 4 5 6	{ Pascha, Nouorum fructuum, Pentecostes, Tubarū festū die prima Septēbris, Ieiunii festum die decima mensis septimi. Addidit Iudas Mach-Encania

Leuit.23.Num.cap.28.v. 29.Pfal.92.Deut.16.  
& aliis locis, veluti I. Mach. 4. v.59. & Ioan. 10.  
v.22. Cæterùm ab hora tertia diei vsque ad  
vndecimam hostiæ cædebantur in templo &  
sacrificari poterant, vt docet Ioseph. lib. 7. de  
bello Iudaico cap.17. id est, ab hora septima  
nostra matutina vsque ad horam quintã po-  
meridianam, si quis ad nostrũ morem ista re-  
uocare velit.

## C A P. XXVI.

*Vbi fiebant.*



Vanquam per Mosẽ Dominus  
prædixerat se vnã aliquã è tri-  
bus Israël electurũ esse, in qua  
fœderis sui arcam constitui, & no-  
men suum inuocari vellet, Deut.12.v. 11. de-  
mum tamen tempore Dauidis illam sibi tri-  
bum Dominus elegit, fuitque familia Iuda, ci-  
uitas autem Ierusalem, vt est in Psa.24.132. An-  
teã autem Arca Domini sub papillionibus &  
tentoriis erat, & modò hĩc, modò illic confi-  
stebat. 2.Sam.6.v.2,7.v.6. Diutissimè autẽ per-  
mãsit in Silo. Cæterùm Deus locũ certum, in  
quo præcipuè coleretur, elegit, ne quisque exi-  
stimaret licere sibi quem vellet locum eligere,  
& illic templum, & cultum Deo instituere, &  
sibi habere priuatim. Nata enim fuisset statim  
corruptio veri cultus Dei, atque schisma inter  
Iudæos. Postquam autem cum sibi locum Do-



Cap. 26. ISAGOGES CHRISTIANAE

minus elegit: alibi sibi sacrificari noluit, & quū Hieroboam duas in regno Israel ciuitates ele-  
gisset, Bethel & Dan, grauissimè succensit illi  
Deus, 1. Reg. 12. v. 29. Elias tamē tēporibus Re-  
gis Achabi tēporarium & extraordinariū alta-  
re Domino erexit, in quo sacrificauit extra Hie-  
rusalē, atque ea res Domino placuit tamē, quo-  
niam ex ipsius verbo fiebat. 1. Reg. 18. v. 31. licet  
extraordinariē à Deo fuisset Eliæ præcepta.  
Ergo altaria illa constructa in Excelsis Iudææ  
fuerunt damnata. Quod autem Dominus vni-  
cum in tota Iudæorum terra locum sibi sele-  
git, in quo sacrificaretur, & ad quem omnes  
sacrificaturi cōuenirent ex vniuerso etiam or-  
be, nedum Iudæa, vnionis & summi in do-  
ctrina & charitate consensus Ecclesiæ signum  
est, quæ quum vna & vniuersalis sit, eadem fi-  
de consistere & colligari inter se debet. Psal.  
107. v. 3. Item fuit templum illud typus & figu-  
ra corporis Christi, Heb. 10. v. 20. Ioan. 2. v. 20.  
& totus templi illius ornatus erat figura cele-  
stium donorum Dei, quæ in Christo homine  
sunt. Atque Iudæi Iuliano Apostatæ interro-  
ganti cur post euersum templum à Vespasiano  
Deo suo non sacrificarent, istam causam red-  
diderunt, quòd alibi, quàm in Hierusalem sa-  
crificare nō liceret. Herm. lib. 5. cap. 22. Theo-  
dor. lib. 3. Hist. cap. 20. Toto tēpore exilii Ba-  
bylonici etiamsi habuerunt quosdam sibi fa-  
uentes Reges Babylonicos, ex eadē tamen caus-  
sa Deo nō sacrificarunt Babylone. Nostrorum  
autem templorum nō est eadem ratio, quæ tē-  
pli Salomonici, quemadmodum docet Chri-  
stus

stus ipse. Ioan. 4. v. 23, 1. Tim. 2. v. 8. In eo autem quod postea destructum prorsus fuit illud tēplum, Deus ostendit omnem legalē cultū fuisse à se vetitū in Ecclesia vsurpari, atque abrogatum omnino. Nec enim templum illud postea reādicari Deus permisit: sic Chrysost. Hom. 4. de Laudib. Pauli.


## CAP. XXVII.

*A quo fiebant.*

**M**NIS quidem Leuitarum familia tēplo Domini seruebat, & altari, non tamen ius sacrificandi omnis habebat, sed sola familia Aaronis, e qua etiā summ<sup>9</sup> Sacerdos accipiebatur, Exo. 26. Num. 16. Postea autem crescente Aaronis familia per vices singuli certo spacio in templo sacrificabant, Luc. 1. v. 9. ne qua confusio in templo Dei oriretur. 1. Chronic. 13. Extraordinario tamen munere Samuel sacrificauit, sed illud speciale est. 1. Sam. 7. v. 9. Hodie autem & post Christum passum est translatum Leuiticum sacerdotium ad Christum ipsum. Heb. 7. v. 11, 12. Quare nec Leuitæ, nec vlli alii amplius sacrificare possunt, quia sempiternū est Christi sacerdotiū, & in ipsius persona manet. Fuerunt autem apud profanos sacrificantium alii Victimarii, alii Sacerdotes. Sacerdotis autē nomen apud Hebræos est Colen, & dignitatis est significatio: nec eos puduit mactare bestiam oblatam Deo: licet Profanos sacerdotes id facere puduerit, sed victimariis id agendum relinquerebant.

## CAP. XXVIII.

*Quæ reliqua Christianæ Ecclesiæ sacrificia restent.*

 Vando Papistis & quibusdam aliis Sacrificii nomen retinendum esse in cultu Dei significando tantopere placet, atque etiam eo nomine aliquando *metaphorice* Scriptura vititur, Mal. I. v. 8. Rom. 12. v. 1. partim vt doceat nostrum Dei cultum non minus esse Deo gratum, quàm illum veterem: partim vt monstret, quæ significatio fuerit illorum veterum sacrificiorum: age videamus, ecquod sacrificii genus hodie nobis, Christianæque Ecclesiæ sit reliquum, quod offerri Deo possit. Ac eius sacrificii triplex est genus ratione subiecti. Nam illud sacrificium

aut est { Animi nostri,  
Corporis nostri,  
Vtriusque communium actionum.

Quantquam Epist. ad Heb. cap. 13. v. 15. & 16. videtur constituere duplex tantum genus: nempe Laudem Dei, & Benignitatem in proximum. Et hoc verè dicitur ratione obiecti. Præclare enim sentit Augustin. libr. 10. de ciuit. Dei cap. 5. ea dūtaxat nobis hodie relicta esse sacrificia offerenda, quæ in nobis ipsis habemus, non autem quærimus aliundè & extra nos. quam eandem sententiã sequutus est Anselm. in Epist. ad Heb. cap. 13. v. 15. & idem August. Serm. 255. de Temp. Duplex sacrificium quærit in



fit in nobis Deus, vnum, vt simus casto corpore: alterū vt mundo corde. Ergo thura, inquit, ergo pecora, ergo nō est extrinsecus quicquā quærendum, quod Christiani Deo offerre debeant, sed apud seipsos omnia reperiet. Nam vt in templo Salomonis erant duo altaria, vnum thymiamatis, vbi incensum adurebatur: alterum sacrificiorum: sic in nobis duo sunt altaria, vnum corporis, alterū animi, siue cordis nostri. Nam à corpore nostro offeruntur bona opera, in corde est odor suauitatis è sancta cogitatione. Vti verò Deus est Spiritus & vita, sic cultum & hostiam exigit à nobis spirituales & viuam, vt sit λογικόν sacrificium, id est, proportionatum ad Dei naturā, Rom. 12. v. 1. Pet. 2. v. 5. Non quòd tamen etiam illa patrum sacrificia, quæ in rebus corporalibus consistebant, quid maius & secretius non significarent (Nam erant illa visibilia rerum inuisibilium Sacramenta, & spiritualis gratiæ ac cultus Dei significationes, vt ex cuiusque rei interpretatione liquere potest Heb. 9. v. 10.) sed quia ad plenitudinem temporum peruenimus, suntque in Ecclesiam post Christi aduentum Spiritus Sancti gratiæ plenius profusa, idcirco tot signis & iisdem non egemus, quibus vetus & adhuc infans Ecclesia. 1. Cor. 10. v. 11. Act. 2. v. 17. Ioel. 2. v. 28.

Ac animi quidem nostri sacrificium est multiplex. Nam & intelligentiam & voluntatem, & vtriusque actiones debemus Deo consecrare, & omnino omnes internas actio-

Cap. 28. ISAGOGES CHRISTIANÆ

nes nostras. Ergo humilitas cordis nostri & contritio est iucundissimum Deo sacrificium, Psal. 51. v. 21. Nostri item abnegatio & mundi huius, est gratissimum Deo incensum. Tit. 2. v. 11. Carnis, & malarum concupiscentiarum nostrarum mortificatio & mactatio est acceptissimum Deo sacrificium. Item voluntatis carnalis & propriæ cōfusio, Colos. 3. v. 5. Eph. 5. v. 5. Denique interna obedientia omnis, atque obsequium, quod Dei præceptis præstamus, fides, item spes, charitas, & cæteræ huiusmodi virtutes omnes sunt gratissimæ Deo victimæ, quæ à nobis offeruntur, Deut. 10. v. 12. Mat. 9. v. 13. Psal. 4. v. 6. quibusque Deo litamus.

Corporis autem nostrisacrificia eodē modo varia sunt & diuersa. Ac primū corpus ipsum nostrum totum est offerendum Deo, vt sit vas & arma iustitiæ ipsius, nec amplius seruiat immunditici, Coloss. 3. v. 5. Rom. 6. v. 13. & 19. Sunt enim nostra corpora dedicanda Deo, quia sunt eius templa. Itē & singula corporis nostri mēbra sūt etiam offerenda Deo, itē singularum corporis nostri partium actiones sūt quoque Deo consecrandæ, & denique omnes externæ actiones nostræ. Sed & gemitus quoque nostri & perpeffiones & infinitæ pœnæ, supplicia, & afflictiones denique omnes, quas pro nomine Christi exantlamus & perferimus, si verè ipsius membra sumus, sunt gratissima Deo sacrificia, Psal. 56. v. 9. Denique quicunque labor, sudor, ærumna, molestia

cor-

corpore pro gloria Dei à nobis perfertur & sustinetur, (quod tam leuiter à multis dici solet, quàm strenuè vitari) ea lætissimum est Deo sacrificium. Heb. ii. v. 38. Pretiosa enim Domino mors sanctorum est, itemque labores, quos illi sustinent, 2. Cor. ii. v. 26. Psal. ii. v. 15.

Animi autem & corporis nostri communes actiones sunt etiam grata Deo sacrificia. Rom. 12. v. 1. Pet. 2. v. 8. Ac primum quidem genus earum sunt bona opera omnia, quæ sunt odoris suauissimi coram Deo, 2. Timoth. 2. v. 21. Non quod ipsa per se digna sint, quæ acceptentur à Deo, aut ex propria dignitate & suauitate commendentur, sed sanguine Domini nostri Iesu Christi Deo grata sunt. Fides enim ea commendat.

Secundum genus est gratiarum actio, quæ est acceptissimum Deo sacrificium, ut Dominus ipse testatur Psal. 50. v. 14. & vitulus labiorum à Propheta appellatur, & ab Apostolo ad Hebræos fructus labiorum Ose. 14. v. 3. Heb. 13. v. 15. Reliqua verò eiusdem generis colligere in promptu est cuius studioso. Et hæc in quoque genere satis esse videri possunt. Fiunt autem hæc sacrificia hodie post Christi aduentum, & dirutam maceriem inter Gentiles & Iudeos, vbique gentium & terrarum, 1. Tim. 2. v. 8. Ioan. 4. v. 21. Olim quidem notus solum in Iudæa Deus erat, ubi se reuelarat: nunc verò per Euangelii prædicationem vbique. Itaque sine locorum distinctione hæc sacrificia, de quibus diximus, offerri Deo, ac fieri possunt.



Cap. 29. ISAGOGES CHRISTIANÆ

Mal. 1. v. 8. Psal. 76. Psal. 24.

A quouis item homine fideli & Christiano fieri & offerri possunt & debent, non autem à certo tantum hominum genere, quale sacrificulorum Papistarum est. Omnes enim Christiani, imò singuli verè fideles sunt per Christi sacerdotiũ, sacerdotes effecti, atque se suaque per eum offerre Deo possunt. 1. Pet. 2. v. 9. Apocalyps. 5. v. 10. Omnes item clerus Domini sumus, vt ait Tertullianus, & singuli sumus de clero, non tantum certum hominũ genus, vt Papistę putant, 1. Pet. 5. v. 3. quanquam vetera sacrificia à solis Leuitis qui de familia Aaronis erant poterant fieri .i. à solis Sacerdotibus Leuiticis. Semper & quocunque tempore fieri hæc denique nostra sacrificia possunt, non certis tantum diebus & temporibus, vt Leuitica. Luc. 18. v. 1. 1. Timoth. 2. v. 8. 1. Thess. 5. v. 17. Ioan. 4. v. 23.

C A P. XXIX.

*Omne genus expiatorii Sacrificii  
hodie sublatum esse.*



Mne verò genus Expiatorii Sacrificii hodie post Christi mortẽ sublatum est, & vetera sacrificia legis, quæcunque Christi mortẽ figurabant, cessant, quoniã in Christi passione implementũ acceperũt. Omnis enim sanguinis effusio, quæ olim fiebat, erat vmbra sanguinis Christi:

Christi effundendi, quæ vbi corpus ipsum affuit & affulsit, euānuit. Heb. 8. v. 5. 9. v. 25. 16. v. 1. Colloff. 2. v. 17.

Sed & pacifica quoque sacrificia, siue cruenta, siue non, quia legalis pædagogia, & ceremoniarum pars erant, in Christo nempè suo corpore finem acceperunt. Nam eius morte omnia consummata sunt, Ioan. 19. v. 30. Itaque qui illa sacrificia quocunque modo hodie repetit, non tantum aduentum Christi obsecrat, & mortem, sed eam prorsus inanem, falsam, & inutilem reddit. Hoc tamen Papistæ faciunt, dū Missam suam retinent, quod vocant corporis Christi sacrificium expiatorium pro viuis & mortuis. Quoniam igitur necessarium est ad fidei nostræ summam, & cultus diuini explanationem docere, nullum amplius expiatoriū sacrificium faciendum restare in Ecclesia, has rationes diligenter perpendamus.

Prima hæc, quæ ducitur ab autoritate Scripturæ, quæ apertè docet, Nullam amplius pro peccatis nostris hostiam restare, Heb. 10. v. 26. 6. v. 4.

Secunda à necessario annexo & consequente. Quum enim sacrificia sine altari & sacerdotate fieri non possint, iam autem neque sacerdos restet (quia Christus transtulit ad se à Leuitis ius sacerdotii, & talis manet in æternum, Psal. 110.) neque item altare supersit, sacrificia restare non possunt.

Tertia, à differentia, quæ est inter Christi & taurorum sanguinem. Christi sanguis semel

Cap.30. ISAGOGES CHRISTIANAE

oblatus omnia peccata purgavit: at taurorum sanguis non item. Ergo sacrificia taurorum repetebantur. Heb. 7.8.9. Christi verò sacrificium nequaquam iterandum.

Quarta à fine. Quum enim in Christo illa antiqua omnia finem acceperunt, deserūt. Ad tempus enim posita erant Heb. 9. v. 19.

Quinta ab absurdo. Quum Christi sanguis amplius effundi neque possit, neque debeat, frustra eius effundendi umbra proponitur. Iam verò si quid sit, velut repetitio Christi sacrificii, quod nec ex futuro valeat, nec ex alio, ex se valeat necesse est, & ita ex opere operato gratiam nobis conferat. Quod est impium dicere. Coloss. 1. v. 14. & tamen necessario sequeretur, si hodie sacrificia expiatoria fierent, aut restarent. Nam ex opere operato Deum nobis conciliarent. Reliquas rationes colligat, qui volet. Sunt enim infinita.

C A P. XXX.

*De Sacrificiis Paganorum.*

**E**X superioribus apparet Paganos, etsi pecudes & bruta animata sacrificabant, quia tamen fide in Christum destituebantur, demonibus sacrificasse, ut ait Paulus, & non Deo. 1. Cor. 10. v. 20. Deut. 32. v. 17. Psal. 106. v. 37. Ea igitur grauissima peccata erant, quia sine fide fiebant, sine qua non potest quicquam placere Deo, Rom. 14. v. 23. Heb. 11. v. 6. Nec enim in ipse



psis Iudæorum sacrificiis res ipsas, quæ immo-  
labantur, respexit per se Deus, sed finem tan-  
tum, propter quem ex fide à Iudæis offerrebā-  
tur, & instituta erant fieri, nimirum vt vnige-  
niti Filij Dei mortem designarent, & signifi-  
carēt futuram. Isa. l. v. ii. Psal. 50. v. 9. Ad quam  
Gentiles quum non respexerint aut attende-  
rint, tota eorum sacrificandi vsurpatio idolo-  
latria impiissima & mera superstitio fuit, quæ  
à Deo damnata est apertissimè. Nam tantum  
interest, ait August. lib. 4. de doctr. Christ.  
cap. 21. inter Hebræorum & Paganorum sacri-  
ficia: quantum inter hominis & simiæ gestum.

## CAP. XXXI.

*Sacrificia Paganorum fuisse x̄p̄ōl̄ōḡīc̄ōs verū  
cultus Dei.*



Vanquam verò Gētiles mentem, a-  
nimum, & fidem fidelium & verè sa-  
crificantium non habebant: procul-  
dubio tamen videntur voluisse imitari homi-  
nes verè pios, & verum Dei cultum, quem in  
sacrificiis consistere videbant, & ita à patri-  
bus acceperant, Noa, & reliquis. Atque cer-  
to certius est, omnes superstitiones vera reli-  
gione posteriores esse tempore, & esse e-  
ius simias, ac duntaxat adumbrationes. Vi-  
dent simiæ homines, quomodo illi quid-  
piam agant, hoc agunt & ipsæ. Sed men-  
te & animo, qui in hominibus est, carent si-

Cap. 31. ISAGOGES CHRISTIANAE

miæ. Sic Gentiles viderunt externum opus, id est, vero Deo sacrificia offerri, ipsi quoque obtulerunt sacrificia, id est pecudes occisas, & quidem infinito numero, ut illa solennia Hecatombea erât, sed fidem non habuerunt. Atque quo verius appareat eam Paganorum imitatione fuisse *ἑκατομβία* veri Dei cultus, pauca quædam exempli gratia conferamus. Ac primum in iis, quæ fieri non oportebat in sacrificiis vtrorumque, Paganorum inquam & Iudeorum. Sacerdos ex lege Dei non debet cadauer attingere, ne polluat, *Leuit. 2.* Gentiles sancieverant ne scortea, aut morticina in templa sua inferrentur. Varro lib. 6. de ling. Lat. Deos enim cadauera fugere, ait Iâblichus. In iis autem, quæ fieri debebant, infinita penè sunt, quæ conferri possunt. Symbola enim varia & diuersa habebant, per quæ, ut illi aiebât, inferiora cum superioribus connecti sentiebât. *ἄνωθεν* enim suam esse definiebant, ut Proclus ait, artem rei inferioris, uti hominis, cum superiori, uti cum Deo coniugendæ, quo consensu, modo, & harmonia potest. Sed hæc vide fusius alibi. Extat enim Epistola Porphyrii Philosophi Tyrri ad Abnebonem sacerdotem Ægyptiũ de iis rebus luculenter scripta, de qua etiã fit mentio apud Augustinum lib. 10. de Ciuit. Dei cap. 11. ad quã Iâblichus Porphyrii discipulus integro libro respondit post mortem Porphyrii.

CAP

## CAP. XXXII.

*De Confessione Dei.*

**Q**uemadmodum Sacrificium spirituale, ita Confessio quoque nominis Dei veri cultus Dei pars est, eaque præcipua, Hebr. 10. v. 23. Corde enim credimus ad iustitiam, ore autem confitemur ad salutem, Rom. 10. v. 10. Nã per confessionem illam publicam præcipue iam à nobis Christianis Deus colitur. Ergo de ea hoc loco nobis est dicendum.

## CAP. XXXIII.

*Quotuplex sit Confessio.*

**C**onfessio autem, de qua hoc loco agimus, facilioris tractationis causa in duo primùm genera à nobis distribuetur, quæ singula seorsim & suis locis distinguemus & persequemur.

Est igitur Cõfessio { Ad Deum, vel  
vel quæ fit { De Deo.

Vtrumque genus Græci non vno & communi nomine ἐξομολόγησιν appellant: sed illam tantum primam vocant ἐξομολόγησιν. Hebræi generaliter Todah à verbo Iadah. Hanc autem alteram, quæ fit de Deo coram hominibus, μαρτυρίαν dixerunt. August. in Matth. Serm. 8. docet in Ecclesia Latina nomen *Confessionis* pro sola voce peccatoris peccata sua in Eccle-



Cap. 34. ISAGOGES CHRISTIANÆ  
sua Deo confitentis, & pro tonsione & percus-  
sione pectoris accipi solitum.

C A P. XXXIIII.

*Quid est Confessio ad Deum.*

**C**onfessio ad Deum est hominis dis-  
putatio ad Deum, ait August. Dis-  
putare autem ad Deum est, te illi  
indicare scienti, qualis es & quàm  
miser & corruptus, vt ille se tibi indicet ne-  
scienti. Nō fit igitur hæc disputatio animo re-  
spondendi contradicendi vel conquerendi de  
Deo, eiusue iustitia: sed de nobis ipsis potius,  
nostroque vitio & animi nostri erga eum in-  
gratitudine dolendi, qui tam impudenter &  
facile & securè in eum Dominum & creatorē  
& seruatore[m] nostrum peccare audemus. Hæc  
conquestionem nostram verè pœnitentis ani-  
mi esse indicium, & contra seipsum indignan-  
tis testatur Paulus, quam ἀνανήθειαν & ἐκδύκειαν  
appellauit. 2. Cor. 7. v. 11. Quod si cui superior  
definitio obscurior videbitur, hanc accipiat.  
Confessio est nostri vitii & criminis nō tātum  
atrocis, sed etiam minimi, noti vel ignoti ma-  
nifestatio Deo à nobis ipsis lubenter facta, &  
animo pœnitendi. Augustinus dixit, Cōfessio  
est, per quam morbus latens spe veniæ aperit-  
tur. Quod vero in Thoma 3. parte 2<sup>e</sup>. in Addit.  
Quæst. 7. disputant Scholastici, vtrū cōfessio  
hæc sit de Iure naturali, vel positiuo: est pror-  
sus inanis disputatio. Est enim proculdubio de  
iure diuino.

C A P.

## CAP. XXXV.

*Quis fructus huius Confessionis.*

**F**rius autem generis Confessionis hic est fructus, vt coram Deo agnoscamus, & quales antea fuimus, & quales hodie simus, atque ita late- mur & tremamus in Domino, & à malitia peccatõe nostro respiscamus seriò in posterũ.

## CAP. XXXVI.

*Soli Deo peccata esse confitenda.*

**Q**vanquam omnia peccata nostra Deo nota sunt, & manifesta, sunt tamen à nobis illi confitenda. Primum, vt meliùs & veriùs deiciamur ea agnoscentes proprio ore, fateamurque nos esse reos & damnabiles. Secundò, confitendo Deo peccata nostra Deum ipsum laudamus, vtpote qui sit immensè in nos bonus & misericors per Filium suum vnigenitũ Dominum nostrum Iesum Christum, dum nos tales tolerat. Ergo reprehensio, accusatioque nostri laus est Dei. Quemadmodũ igitur orandũ est, etsi Deus, quibus egeamus, ipse per se intelligit, verũm animi nostri fidem patefieri vult Deus, & eam suum officium facere: sic nostra peccata, sunt Deo, quanuis cognoscenti, cõfitenda, vt est in prouerbiis, *Qui sua peccata*

Cap. 36. ISAGOGES CHRISTIANAE

*confitebitur, ille dirigetur.* Prouerb. 28. v. 13. Est fidelis Dominus & iustus, ac dimittet ea nobis I. Ioan. I. v. 9. Denique qui se accusat pro peccatis suis, & iudicat seu condemnat, neque à Diabolo in die extremi iudicii accusabitur, neque à Deo condemnabitur. Nam Christus absoluit nos fatentes, & intercedit pro nobis Rom. 8. v. 34. I. Corinth. II. v. 31.

Cæterum soli Deo esse peccata nostra confitenda, duabus hisce rationibus concludi verissime potest, vt eas prætermittam, quas ipsi Canonistæ contra se habent descriptas initio Dist. I. De pœnit. in Decreto.

Prima, quia soli Deo verè peccamus Psal. 51. v. 6. Nam etiam quæ offésio fit in proximum, illa tamen eatenus peccatum est, quatenus à Deo fieri tale quid in proximum prohibetur. Quatenus igitur Deum respicit hoc nostrum factum, & eius prohibitionem violat (est enim peccatum *à propria*, id est, actio contra legem Dei. I. Ioan. 3. v. 4.) est peccatum. Quatenus autem hoc idem nostrum factum hominem respicit, simplex proximi læsio & deterioratio est nominanda, seu damnum ac detrimētum proximo datum.

Secunda ratio est, quòd solus Deus peccata remittere potest, Luc. 5. v. 21. Nam soli iudici, vt Scholastici aiunt, est confessio faciēda. Ministris quidem verbi Dei pacis, & veniæ peccatorum prædicatio cōmissa est ( Nam fit annūtiatio remissionis peccatorum per verbum Euangelii) ius tamen ipsum remittendi pecca-



ta penes vnum duntaxat Deum manet, 2. Corinth. 5. v. 19. Actor. 3. v. 12. Neque sanè ius clauium (quæ datæ sunt Ecclesiæ) transtulit à Deo in ipsos homines remissionem peccatorum. Reliquas rationes studiosus adolescens per se ex aliis colliget.

## CAP. XXXVII.

*Quotupliciter illa ad Deum Confessio fieri possit à nobis.*

**H**IT autem dupliciter hæc peccatorum confessio pro eorum remissione obtinenda. Nam Deo peccatum nostrum confitemur

vel { Generaliter, vel  
{ Specialiter.

Generaliter, quum nimirum publicè cum tota Ecclesia nos esse peccatores agnoscimus. fuit enim sæper in Ecclesia Dei illa totius populi per os vel Sacerdotis vel Ministri præeuntis confessio, vt se peccatores, reos, pollutos, damnabiles omnes communi voce & consensu facerentur, & agnoscerent, Matth. 3. v. 6. Heb. 9. v. 7. Leuit. 16. v. 2. Dan. 9. Id quod etiam in Evangelicis reformatisque Ecclesiis fit quotidie. & olim factum fuit, quemadmodum apparet ex veteribus liturgiis Basilii, Chrysoptomi &c. Sed etiam quum priuatim & in conclauis nos esse peccatores vero animo confitemur, & agnoscimus coràm Deo, hæc grata Deo est confessio, vt ex Psal. 32. v. 5. colligi potest, i-

Cap. 38. ISAGOGES CHRISTIANAE  
tem ex I. Ioan. I. v. 9. & tamen est hæc generalis  
confessio peccati nostri.

Specialis autem confessio peccati est, quã-  
do coram Deo nominatim vnum aliquod de-  
lictum nostrum inter cetera agnoscimus, vt  
Dauid fecit Psal. 51. Iob. 31. Maxime verò hæc  
fieri solet à nobis solis apud Deum agentibus.  
Enumerare autem singula peccata neque ne-  
cesse est, neque possumus, vt eorum ve-  
niam consequamur, quum pleraque nobis i-  
p̄sis sint occulta, à quibus tamen nos mundat  
Deus. Psal. 19. v. 13. quicquid contra disputent  
Canonistę Dist. I. De pœnit in Decr. Fatemur  
quidem ea peccata, quæ quis per superbiam  
nec agnoscere, nec fateri coram Deo velit, à  
Deo non dimitti, quia de iis non pœnitet, vt  
est §. Taciturnitas. De Pœnit. Dist. I. Nã quod  
afferunt ex Boëtii libro de Consolatione, *Si  
opem medicantis expectas, oportet quod morbum de-  
regas, nõ efficit vt sigillatim omnia peccata sint  
à nobis Deo enumeranda.*

## C A P. XXXVIII.

*Cur fiat sæpè offense Confessio hominibus.*



V V M sæpè in Scriptura legatur  
& præcipiatur, vt si quid in fra-  
trem peccauimus, ei confiteamur,  
Matth. 5. v. 24. Iacob. 5. v. 16. quæ-  
runt quidam, quid hoc confessionis genus ab  
illo superiore differat. Quibus est respõdendũ  
planè

planè toto genere illas duas cōfessionis species inter se differre. Prior enim fit Deo: hæc posterior fit hominibus. Prior fit peccatorū obtinendæ remissionis gratia: hæc posterior fit solius pacis, & charitatis fraternæ retinendæ causa, atque quærendæ cum eo reconciliationis. Prior nunquã vera fide veròque animo & pœnitenti fit, quin sequatur peccatorum venia, quia Deus promisit, Quotiescūque ingemuerit peccator, iniquitatis eius non recordabor. Ezech. 18. & 33. Hæc autem posterior sæpè quidem fit sincero animo, & vero pacis quærendæ affectu, neque tamen à fratre impetrari potest, vt cōdonet offensam. Denique prior peccati ipsius cōfessionem continet. Hæc autē posterior solius offensionis fraternæ agnitionē.

## CAP. XXXIX.

*Quotuplex sit hæc Confessio.*

Multiplex autem est hæc confessio, quæ fit hominibus: vti in hominum offensionibus multæ circumstantiæ, atque eæ diuersæ notari obseruarique possunt. Nos autem hîc summa tantum quædam eius genera proponemus. At quia vel totam Ecclesiam factò dictōve nostro offendimus, vel membrum illius tantum id est, vnum de fratribus: idcirco fit hæc Confessio

vel { Toti Ecclesiæ publicè, vel  
 { Vni homini priuatim



Cap. 39. ISAGOGES CHRISTIANAE

Quæ fit publicè toti Ecclesiæ, olim satisfactio Ecclesiæ dicebatur, & iis, quos Pœnitêtes appellabant, imponebatur pro sceleris commisso, offendiculi, & scandali toti Ecclesiæ dati ratione, & modo. Atque etiam hanc hodie in quibusdam criminibus & offendiculis retinêt Ecclesiæ Dei, quantum expedit, vt scandalum tollatur. Porro quæ fit vni homini priuatim à nobis peccati nostri confessio, ea multis de causis fit, è quibus tres tantùm hîc enumerabimus.

- Nam vel
1. Alter alteri peccata confitemur, Vt mōnet Iacob. 5. 16. ex mutua compassione,
  2. Qui læsit, is solus læso confitetur, vt ei possit reconciliari, Mat. 5. 24.
  3. Consilii petendi gratia id

quispiam facit, veluti Dei verbi ministro, vel alicui alii pio & docto viro & Fideli. Quo genere etiam hodie Christiani Germani vtuntur ante Cœnam Domini. Hæc ab illis vocatur *Iudicatura*, ex qua faciunt, præter decorum nonnulli ministri Verbi Dei magnos hodie quæstus in Germania. Inde autem nata videri potest Auricularis confessio, de qua idcirco est agendum.

C A P. XL.

*De Confessione Auriculari.*

Planè



Planè iucundum est audire, quæ dis-  
serit August. in istos homines cõ-  
fessionarios & alienæ vitæ sciscita-  
tores seu perserutatores scribit li.  
10. Confessio: capit. 3. Quid mihi, ait, cum ho-  
minibus, vt audiant confessiones meas, quasi  
ipsi sanaturi sint meos languores. Curiosum  
genus ad cognoscendam vitam alienam: desi-  
diosum ad corrigendam suã. Quid à me quæ-  
runt audire qui sim, qui à te Domine audire  
nolunt, qui sint: Et vnde sciunt, quum à mei-  
pso de meipso audiunt, an verum dicam? Cum  
hoc Augustini loco consentit Chrysosto. Ho-  
mil. in Psalm. 59. Item de Lazaro Hom. 4. Au-  
gustin. Serm. 15. de Verb. Apost. Discutite vos  
semper sine dolo, sine adulatione, sine palpa-  
tione. Non enim aliquis est intus tecum, vt er-  
rubescas, aut iactes te. Proba teipsum tu ipse.  
Præterea quod fatis est dicere, Auricularis cõ-  
fessio non est fundata in sacra Scriptura. Nam  
quod illud Matth. 11. ver. 44. *Vade & ostende te*  
*Sacerdoti* obiciunt, planè aliò pertinet, nempe  
ad Legis veteris ceremonias, vt ex Dei præcep-  
to munus suum offerret, qui lepra mandatus  
erat, vt est à Mose traditum. Leuiti. 14. versu 3.  
non autem ad auricularem susurrationem &  
cõfessionem, sed ad publicam beneficij à Deo  
accepti testificationem. Præterea temporibus  
Nectarij Episcopi Constantinopolitani appa-  
ruit esse periculosum inventum, & tollendum  
vri Episcopus ille sapientissimus fecit, Socrat.  
libro 5. cap. 19 (quanuis aliam vsum & scopum  
illa tum confessio haberet, vt publico scanda-

Cap. 41. ISAGOGES CHRISTIANAE  
lo tantum, moderatè tamen, consuleretur: unde etiam Pœnitentiarij nomen sine re in Ecclesia Rom.) & Canon. Quid à Deo. De pœnit. Distin. 1. Infinita alia prætermitto, quæ habentur in additio. ad Thom. 3. lib. Quæst. 6. 7. 8. & deinceps.

C A P. X L I.

*DE MARTYRIO, quod est præstantissima confessionis nostræ de Deo species. Ac primum Quid sit Martyrium.*



Martyrium unde dictum sit, ex eo, quod supra diximus, apparet. Est enim Græca vox, quæ Latinè testimonium dici potest: & martyres ipsi testes Christi. Quotquot enim homines Christo verum testimonium reddiderunt, sunt Martyres Christi: sed ij præsertim, qui pro eo solo mundi saluatore testificando vitam suam effuderunt, ij Christi sunt testes, siue Martyres, κατὰ ἔξοχὴν, Apocalyps. 18. ver. 24. 20. versu 4. Actor. 1. vers. 8. Ergo Martyrium supra dictum est alterum genus confessionis, quæ fit de Deo coram hominibus. Vt autem melius intelligatur quid sit Martyrium, sic definiri potest ex August. Sermon. 17. de verbis Apost. Martyres sunt, qui vsque ad sanguinem pro Christo pugnauerunt. Heb. 12. ver. 4. Item Martyrium est Christiana animi fortitudo à Dei Spiritu data specia-



Specialiter, per quam mortem, vel aliquid aliud minus quidem, sed tamen carni durum & molestum, pro veræ doctrinæ professione, & fidei, ac nominis Dei confessione sustinemus & patimur læto animo, Act. 5. v. 41. Apoc. 20. v. 4. Ac primum dicitur esse animi fortitudo, quia caro oblectatur doloribus, quantum potest. Sed animi imperio & Spiritus Sancti virtute in officio continetur caro, ne vincat. Fortitudo verò est, & quidē maxima. Fortes enim tribus modis æstimari solent.

Primò ii, qui naturalem suam conditionem miseram & molestam, qualis est seruitus, æquo tamen animo ferunt, quia nihili cuncta hæc humana faciunt, & minoris æstimant, quàm se, suamque sollicitudinem. Nam ut ait quidam, Fortiter ille facit, qui miser esse potest. Idem solent dicere, Servio corpore, animo autem non serui.

Sunt & ii fortes quoq; qui magnos corporis cruciatus & dolores non naturales, sed accidentarios, id est, accidentarias miseras citrà suam tamen culpam contingentes perferunt, siue morbi eos inferant, siue vlcus. Ergo qui in iis malis non eiulant more muliercularum, fortes dicuntur: de quo fortitudinis genere disputat Tullius lib. 2. Tusc. Quæst. vide i. Pet. 4. v. 15.

Tertiò denique dicuntur fortes, qui pro causa verè honesta voluntarias miseras subeunt etiã gravissimas, veluti pro defendenda patriæ libertate labores & mortem ipsam perferre, ac occumberere non

Cap. 41. ISAGOGES CHRISTIANÆ

dubitant, maximè que in bello & eminenti periculo, vt sentit Aristot. lib. 3. *id. viii.* Sed hos tres fortitudinis siue gradus siue species superat hæc quarta, quæ Christiana est, & Martyrium appellatur, est quæ longè excellentius fortitudinis genus, quàm eorum, qui in bello honesta de causa mortem oppetunt. Primum ex causa. Pro iustiore enim causa & utiliori moriuntur, qui pro animarum salute testificanda pugnant, quàm qui pro corporum vel harum rerum terrenarum defensione occidunt. Quid enim anima pretiosius? Quid Deo pro cuius nomine confitendo occidunt, maius, & magis necessarium mundo? Mat. 18. v. 8. Non sunt ergo Martyres, qui sanguinem suum fundunt elatione, non charitate. Nam & apud hæreticos, qui propter iniquitates & errores suos aliquid molestiarum perpessi fuerint, nomine Martyrii se iactant, vt hoc pallio dealbati facilius furentur, quia lupi sunt. Verùm isti non pro ouibus, sed contra oues moriuntur. 1. Cor. 13. Aug. Serm. 50. in Ioanem.

Secundum, maius tormentum subeunt Martyres, quàm ii qui in bello occumbunt. Milites enim vi & astu iræ acti ex parte vulnera non sentiunt, neque diu cruciantur. At Martyres videntes, scientes, prudentissime pereunt lenta morte & diuturna vexatione, non subita vi, atque adeò vt videmus fieri atrocissimo mortis genere & crudelissimo, adeò vt aduersum Dei Martyres omnia mundi

mundi elementa iam olim armata visa sunt  
Heb. II.

Tertium est, quòd maior Martyrum constantia obseruari potest, quàm militum. Nam qui milites in bello cadunt, futuri temporis memoria & laude sese consolantur. præterea in ipso præsentis periculo magnis ducum pollicitationibus & verbis excitantur ad fortiter agendum & moriendum. At Dei Martyres si iuxta carnem eorum tentationes consideramus, quemadmodum & cæ tétationes occurrunt, & non cessat Satan obicere omnia terculamenta, illi, inquam, Martyres futuri temporis cogitatione & infami de se fama torqueri atque angii possunt. Item præsentis de se hominum etiam amicissimorum sæpè iudicio & aspectu plus terrentur, quàm ipsis tormentis: nec per ea quæ vident & audiunt inflamman- tur ad moriendum pro nomine Iesu. Sollicitant enim omnes ad defectionem, infinitæ cogitationes occurrût. Augustin. Duplicem mundus aciem producit cõtra milites Christi. Blãditur, vt decipiat: terret, vt frangat. Ad utroque aditus occurrit Christus, & non vincitur Christianus. Ac certè tot tantãsq; tentationes vincere, quot & quantæ sese illis offerunt, non est humanarum virium, sed planè diuini Spiritus virtus est & opus, Phil. I. v. 29. 2. Cor. I. v. 8. Quamobrem hæc eadem fortitudo, *Christiana* dicitur, quia ex fide & spiritu Christi in nobis inhabitantis ea cõstantia & victoria cõtra tot insultus est & manat, nõ autem ex carne. Fide enim stamus & corroboramur, ne la-



Cap. 42. ISAGOGES CHRISTIANAE  
 bamur, 2. Cor. 1. v. 24. Phil. 1. v. 29. & Deus ipse  
 est, qui nos egregiè tunc confirmat per Iesum  
 Christum, 1. Pet. 5. v. 10. In Sermon. 1. de S. Vin-  
 centio inter Sermon. August. Agnoscatur o-  
 perari diuinitas. Quomodo enim corrupti-  
 bilis puluis cõtra tam immania tormenta du-  
 raret, nisi in eo Christus habitaret? Si confide-  
 retur in ista passione humana patientia, inci-  
 pit esse incredibilis: si agnoscatur diuina po-  
 tentia, desinit esse mirabilis. Additur *pro con-  
 fessione nominis Dei*: Neque enim pœna fa-  
 cit Martyres, vt rectè pater Cyprianus dixit,  
 sed causa. Nam etiã Marcionitæ & Ariani  
 hæretici suos Martyres habuerunt, vt aiebant.  
 Tripart. lib. 8. cap. 13. sed ea falsa fuit iactantia.  
 Nisi enim pro vera Christi fide moriantur, nõ  
 sunt Martyres, qui occiduntur. In hac patien-  
 tia, quæ sperat in Christum, Martyres coro-  
 nantur. In hac spe dicebat Apostolus, quis se-  
 parabit nos à charitate Christi. August. Sermon.  
 16. de verb. Apost. Vnde orare pro Martyre est  
 iniuria inquit August. Sermon. 17.

CAP. XLII.

*De Duplici Martyrum Christi genere.*



IA quæ ducit ad vitam, inquit Ber-  
 nardus, in paruis Sermonibus, est  
 triplex, Sanguinea, purpurea, lac-  
 tea: Sanguinea in Martyribus.  
 Purpurea in confessoribus. Lactea in virgini-  
 bus.

bus. Non tantum autem, qui mortem pro nomine Iesu subierunt, Martyres sunt appellati, sed etiam ii, qui aliud aliquod tormentum in corpore pro eo sustinuerunt, aut poenam aliquam corporalem, ex qua tamen superstites esse poterant. Sic saepe legimus apud Cyprianum libellos & supplicationes pro sacrificatis, ut vocabant, in Ecclesie gremium suscipiendis a martyribus oblatas. Verum hoc secundum Martyrum genus, qui non moriebantur, sed erant post poenam superstites, a Graecis *μολογῆται* tantum, id est, Confessores dicti sunt. Inde Confessionarium dictum in Synodis, is locus in templis, ubi ossa illorum Martyrum vel Confessorum istorum erant reposita. Illi autem primi, qui morte coronabantur, proprie Martyres dicebantur ex recepta loquendi formula. Postea tamen Confessores dicti sunt etiam, qui nihil passi, in confessione fidei orthodoxae mortui sunt in aliquo gradu Ecclesiastico constituti, uti Episcopi, August. lib. 8, De ciuit. Dei cap. 27.

C A P. XLIII.

*De legitimo Martyrum honore.*



Rimum quidem laudata est fidelium hominum constantia, qui pro nomine Iesu mori non dubitarunt etiam crudelissime. Postea autem creuit superstitio hominum, dum illi

Cap. 43. ISAGOGES CHRISTIANAE

Martyres potius, quàm ipsum Christum ad imitandam sibi proponunt. Ac sanè tolerabile etiam fuit, id quod postea positum in more Ecclesiae docet Aug. lib. 22. De Ciuit. Dei cap. 10. ut è catalogo nimirum nominatorum, qui fortiter pro Christo occubuerant, iis diebus palam & publicè recitarentur in Ecclesia, quibus Coena Domini celebrabatur, sed ante cõsecrationem panis, ut qui in sacra Coenae communiõne eandem, quam illi, fidem profitebantur, ad eandem quoque constantiam pro fide cõseruandam excitarentur, Euseb. lib. 4. hist. cap. 15. Cyrill. lib. 6. contra Iulianum. Vnde Martyrologium erat in Ecclesia constitutum, id est liber, qui descripta Martyrum in quaque Ecclesia vel prouincia nomina & genera mortis eorum & tempora continebat ex fidelissima traditione & historia. Hinc Protonotarii in Ecclesia Romana primùm quoque constituti ad colligendas & describendas huiusmodi Martyrum historias. Sed latius malum postea prouectum est, ut omnia in peius ruunt, & prona est ad idololatriam hominum natura. Nam coeptum est nomen Martyrum & cadauer ipsum sanctius haberi, quàm oportebat, & postea coli, & demum locus ipse passionis ac sepulture eorum sanctior quoque censerì, Amb. lib. 10. Epist. 85. Aug. contra Faust. lib. 20. cap. 21. & dies mortis passionisque cuiusque Martyris in Ecclesia institutus pro die festo. Ceterum Ex Euseb. Hist. Eccles. in Epist. Galerii apparet Christianos primos habuisse templa dicata



dicata Deo soli: nō autem defunctis Diuis aut Martyribus vllis, quæ appellabantur Domini-  
ca Tempa. Sic Beatus Rhenanus interpretatur  
quoque. Sed non tantum tempora mortis  
Martyrum sanctius obseruari & pro festis ha-  
beri cœperunt, sed etiam dies eorum *γενεθλιας*,  
id est, natales, vt scribit Euseb. historiæ lib. 4.  
cap. 15. quanuis *γενεθλιων* nomine dies passionis  
ipforum non raro accipi solet: sepulcra item  
eorum ornari, & decorari, sumptuosæque ædi-  
ficari, & ad ea mortis memorias vigiliâsque  
Martyrum agere & ibi precari ex maiori de-  
uotione, etiam liba offerre tanquam edenti-  
bus. Denique ibidem Cœnam Domini quo-  
que supra tumbas velut altaria celebrare, quasi  
Deus esset in iis locis magis propitius. Atque  
hæ omnes superstitiones erant iam tempori-  
bus Tertulliani, duraruntque imò auctæ sunt  
Ambrosii & Augustini seculo. Nam ipse Au-  
gust. in lib. Confes. de Monica matre sua scri-  
bit, eam propter sepulcra Protasii & Gerua-  
sii Martyrū ex Africa Mediolanum vsque ve-  
nisse sæpè. Tum postea templa illis extrui cœ-  
perunt, deinde omnis superstitio & idolola-  
tria in eos inualuit. Nam & reliquiæ eorum  
quæ sitæ sunt, maximè tempore Theodosii iu-  
nioris, Imperatoris Romani, & asseruata, &  
demum adorata. Vigiliâs ad sepulcra Marty-  
rum Augustinus Epist. 119. lib. de Moribus Ec-  
clesiæ cap. 4. & Epist. 64. sublatas vellet. Quid  
tādē illi Dii sunt facti, licet Martyres essent,  
& homines. Præclare verò Leo 1. Martyres co-

Tonas acceperunt, non dederunt.

Nobis autem ad duplicem finem sanctorum verèque fidelium Martyrum, id est, qui pro vera fide in Domino nostro Iesu Christo mortui sunt, memoria colenda est, sine vlla ratione locorum, in quibus passi sunt: vel temporum, quibus nati mortuique sunt, superstitione vel religione. Primum, vt ex eorum fide, constantia, virtute, inuicto animo, & verissimo testimonio fidem ipsi nostram confirmemus, quæ est in Christo seu Euangelio, eam solam veram, cælestem, salutarem, inuictam doctrinam esse agnoscentes. Itaque & viuendum in ea esse & moriendum. Magna enim est Evangelicæ veritatis probatio & confirmatio in eo, quod tot sancti viri & fideles pro ea vera testificanda mori nõ recusarunt, & suo sanguine suam illi veritatem asserere non dubitarunt, Heb. II. v. 33, 34, 35. Col. I. v. 24.

Secundum, vt hæc eorum constantiam & animi magnitudinem in eadem causa defendenda intrepidè imitemur. Denique totum vitæ eorum cursum (I. Cor. 4. v. 1. quatenus ipsi fuerunt Christi imitatores) etiam imitemur benè viuendo, & per eos ad glorificandam Dei benignitatem & potentiam in suis electis vocandis, fouendis, tuendis, confirmandisque excitemur. Bernard. ubique ait, *Imitatio, non adoratio sanctis debetur.* Extant quidem tragici exitus eorum qui ossa Martyrum impiè & ex Dei contemptu effoderunt, vt docet Chrysost. Hom. 4. de Laud. Pauli: sed quemadmodum

dum ipsi martyres non pro sua, sed pro Christi gloria moriuntur: ita in eorum morte, non illorum, sed Dei, & Christi ipsius laus prædicanda est, & quærenda, & agnoscenda. Atque hæc sententia, quæ est apud Euseb. lib. 4. Eccles. Historiæ, cap. 15. est diligenter obseruanda & notanda. Nam de Christo loquens, ait, τῆτον μὲν γὰρ ἦδὲν ὄντα τὸ θεῶν προσκυνοῦμεν, τὸς δὲ μὲν τυγῆς ὡς μαρτυρῆς ἀγαθῶν ἀξιῶς. Serm. de sancto Vincentio inter Sermon. August. *In his omnibus (Martyribus) ille agnoscendus, ille glorificandus, ille laudandus est, qui est in prima vocatione dedit fidem, & in suprema passione virtutem.* Ergo Deus, non ipsi Martyres est in ipsa hominum piorum martyrio agnoscendus.

## CAP. XLIII.

*Exhortatio ad Martyrium.*

**S**ED quia sæpè ea tempora incidunt, & eæ personæ, quæ sunt ad verum Martyrium exhortandæ, vel etiam nobis ipsis illud est subeundum, imò verò, vt ait Cyprianus, Nobis Martyrium potius deesse debet, quàm animus nostrer Martyrio: videamus aliquot sacræ Scripture locos ex quibus confirmari ad tãti præmii laudem & coronâ accipiendam possimus. Non mirû si animus in Martyrio ferêdo exul à corpore non sentiat penè dolores corporis.



Cap. 44. ISAGOGES CHRISTIANÆ

Neq; hoc facit stupor, sed amor. Summittitur enim sensus Deo nō amittitur, ait Bern. Serm. 16. Cant. canticor. Item Serm. 66. de Martyribus hæreticorum agens, *Nihil habet, ait, constantia Martyrum simile cum pertinacia horum, quia mortis contemptum in illis prætat: in istis cordis duritia operatur.*

Ac prima quidem ratio est ex hoc Christi dicto. Qui me confitebitur coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, &c. Qui me negauerit coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo &c. qui est in cœlis. Matth. 10. v. 32. Quid prodest credidisse ad iustitiam, si os dubitat proferre, quod corde conceptum est?

*Secunda*, Apoc. 21. v. 8. Timidis & incredulis pars eorum erit in stagno ardenti ignis.

*Tertia* ex loco Matth. 5. v. 11. Beati estis, quū probra iecerint in vos, & in sc. Ctati fuerint, & dixerint omne malum verbū mentientes propter me, gaudete & exultate.

*Quarta* ex Petro sumpra est. 1. Pet. 4. v. 16. Porro, si vt Christianus affligitur quis, ne pudeat, imò glorificet Deum in parte hac.

*Quinta* ex Paulo Phil. 1. v. 29. Insigne Dei beneficium est quòd pro eo patimur, quia nobis datur gratuitò pro summo beneficio, non solum vt in eum credamus, sed etiam vt pro illo patiamur. Hic est enim summus amoris, quo Deum in his terris prosequi possumus, gradus, si vitam nostram pro eo effundimus, Corinth. 13.

*Sexta*, per afflictiones intravit Christus in gloriam suam. Luc. 24. v. 26. Act. 14. v. 22. & ita oportet nos cum eo pati, vt cum eo glorificemur, 2. Tim. 2. v. 12.

*Septima*. A Dei prouidentia. Non sunt homines timendi, quia ne capillum quidem vnum capitis nostri detrahent, nisi quem Deus voluerit, & vt voluerit Luc. 12. v. 7. Matth. 10.

*Octaua*. Non est seruanda anima, ne eam amittamus: sed est pro Deo amittenda, vt eam inueniamus. Matth. 10. v. 39. Itaque non timēdi, qui solum corpus lædere possunt, sed qui & corpus & animam perdere vnus potest, nempe Deus. Luc. 12. v. 5.

*Nonā*. Deus est fidelis & iustus seipsum negare non potest, licet simus increduli. 2. Tim. 2. v. 13. sed ei qui denegat cognitam veritatem formidabilis quædam expectatio iudicii restat. Heb. 10. v. 25.

*Decima*. Exemplum Prophetarum, Apostolorum, & aliorum Christi Martyrum, qui quum pro eadem causa passi sint, beati nominati. Matth. 5. Heb. 11. v. 38. Cæterum de hoc ipso argumēto legantur veterum exhortationes ad Martyrium, Tertulliani & Cypriani, & recentiorum, vt Caluini Epistolæ quædam. Imprimis autem notetur illa sentētia Augusti, in Sermone de Conuersione Pauli, Appendo quod patior contra id quod spero. Hoc sentio illud credo. Et tamen plus valet, quod credo, quàm quod sentio. Quicquid est quod scuit pro nomine Christi, si potest vinci, tolerabile

Cap. 45. ISAGOGES CHRISTIANAE  
est. Si nō potest vinci, migrare hinc facit. Non  
extinguit, sed accelerat ipsum præmium i-  
psam dulcedinem, quæ quum venerit, sine  
fine erit: Opus (id est, Martyrium) cum fine:  
merces sine fine.

C A P. XLV.

*De FUGA in Persequutione.*

**V**etus quæstio fuit, quatenus in per-  
secutione fugiendū sit homini fi-  
deli & Christiano, etsi publico  
Magistratus edicto citetur. In quo  
primū præfandum est, nihil exemplis, atque  
factis hominum tribuendū, quum è bonis &  
piis viris quidam fugerunt, quidam non fuge-  
runt, etiam libertate eripiendi se data. Cæte-  
rū qui negant omnino fugiendū esse in per-  
secutione, illud Christi ignorant, Estote pru-  
dentes, vt serpentes, quæ quarunt latebras ad-  
uersus vim hostium. Item illa exempla oblitus  
est, quæ commemorantur in Epist. ad Heb.  
cap. II. v. 37. *oberrarunt in ouillis.* Item Exempla  
Ecclesiæ Actor. 8. v. 4. nec se debet ovis sistere  
lupo vt ab eo deuoretur. Præterea illud admo-  
nendi sumus maiorem constantiam & perse-  
uerantiam, ab iis qui præsunt gregi (quales sunt  
Episcopi siue Ministri, Diaconi & Presbyte-  
ri) quam à reliquis in Ecclesia priuatis homi-  
nibus requiri. Hi enim qui cæteris præsunt,  
suo exemplo & sua constantia cæteros obsir-



mare debent, quantum possunt, & est æquum. Nam eorum ministerium & præsentia necessaria est Ecclesiæ. Iniquum verò est, si grex totus diffugiat, & ibi tamen suum pastorem manere velit: aut quum totus grex vnus Ministri absentia (quæ fiet pro tempore) saluus esse potest, si ab eo requiratur vt maneat, quum æquius sit eum abesse pro aliquo tempore. Exemplo Pauli Actor. 9. vers. 25. Nec obstat huic sententiæ dictum Christi de mercenario Pastore, qui fugit Ioan. 10. vers. 12. De eo enim loquitur Christus, qui timore moriendi, non consulendi Ecclesiæ voluntate fugit, vt docet Aug. in Epist. 180. ad Honoratum.

Ac primum quidem illud Christi dictum est, *Quum persequuti vos fuerint in ciuitate hac, fugite in aliam*, Matth. 10. vers. 23. Ac etiã fugisse præter Apostolos plerosque fideles, qui erant in Hierusalem, constat ex Actis, Actor. 8. vers. 4. quum sæuirent Iudæi in Ecclesiam. Atque quum de fuga sua accusaretur ab Artianis Achanasius, luculentam pro ea Apologiam scripsit, quæ extat Tripart. libr. 6. cap. 22. De eodem argumento Basil. in Homil. de Gordio Martyre agit copiosè. Denique hæc ferè summa est & responsio, Possè nos quidem pro causa, pro tempore, atque etiam pro commodo Ecclesiæ fugere, antè quàm capiamur. Postquam autem capti sumus, & de Fide nostra à iudice interrogamur, planè constanter & apertè respondendum esse, atque in vera fidei con-

Cap. 45. ISAGOGES CHRISTIANAE  
fessione ad mortem vsque persistendum. V-  
num modò notemus dum fugimus; ne sit  
nimirum omninò iners & otiosa nostra fu-  
ga, sed vbique ædificemus templum Domino;  
neque terreamur, quòd propterea iam incidi-  
mus in afflictiones.

Altera quæstio est, vtrum obscure & ambi-  
guè liceat respondere, quum captus interro-  
garis, ita vt tu tuo sensu, ille autem qui te in-  
terrogat suo sensu ex tua interrogatione frui  
possit, vt te putet aut cogitet secum in errore  
consentire, quum ipse in vera fide erret? Et  
quia Deus non est Sophista, Gal. 6. v. 7. sophi-  
stias, ambiguas, & captatorias responsiones  
odit, quæ non fiunt planè de eo quod in corde  
tuo sentis. Sunt enim tales confessiones & re-  
sponsiones ambiguæ, mera mendacia, quæ  
Deus execratur. Psa. 5. Apoc. 21. ver. 8. Præterea  
fauent eadem idololatriæ, & errantem in er-  
rore confirmant, quandoquidem eas ipse ad  
suum sensum trahit, cui te quoque putat con-  
sentire hac ambigua responsione, qui tamen  
te fidelem, & pura doctrina fidei imburum  
vocas. Debet igitur esse confessio nostra non  
tantum in se vera, sed etiam plana, & perspi-  
cua, id est, & corde, vt creditur, fieri: & ore, vt  
intelligatur, Rom. 10. v. 10.

Tertia quæstio est vtrum quispiam pius ca-  
ptus se pretio aliquo redimere possit bonâ  
conscientiâ, vel sponsione aliqua pacisci, ne  
confessionem veræ fidei, & illius rationē red-  
dat. Noluit Marcus Arethufiorum Episcopus  
se vel

se vel teruncio in huiusmodi causa redimere. Tripar. 6. c. 12. contra verò Rutilius vir pius & postea Martyr se pretio redemit, vt ait Tertullianus. Sed res ista exemplis iudicanda non est. Putat ipse Tertull. in lib. de fuga in persecutione nullo modo licere piis id facere. Alii aiunt ex magna causæ cognitione hoc totum esse diiudicandum, modò sciamus Martyrii honorem, ad quod nos Deus vocat, non esse fugiendum, neque deserendam Christi causam. Verùm in hac quæstione sic ipse sentio, vt distinguam, cum quo paciscatur pius, qui captus est. Nam vel cum accusatore suo, seu delatore & in die paciscitur, vel cū iudice ipso vel publico Iudicii Ministro, veluti cum custode carceris, milite, &c. Si cum accusatore ne se persequatur in iudicio, cum indice, ne se indicet, aut deserat, licere id puto. Non enim subterfugit martyrium, sed molestiam redimit. argum. l. transigere C. de Transact. & quasi sumptus litis. Sin verò cum ipso suo iudice, vel iustitiæ publico officiali ac ministro quispiam fidelis captus paciscatur, ne vel rationem fidei ipse reddat, vel vt veritatem confessus ab eo mentiente dimittatur, dico argumento & exemplo Pauli Actor. 24. v. 26. iniquè id promitti, ac fieri, quoniam iudicè, & iustitiæ ordinem verè corrumpit, qui hoc agit. Nam ne pro vera quidem sententia pronuntianda pecunia iudici dāda est: nedum pro falsa, quod fieret absoluto pio ab infideli iudice, quasi non esset veram fidem pius ille confessus, sed falsæ doctrine assensus Eorum autem qui vltro pericu



Cap. 49. ISAGOGES CHRISTIANAE  
la sibi accersunt, & se, obiciant hominum fu-  
roribus, vt Martyres fiant. consilium non pro-  
bo, argumento eorum, quae A. 1. 19. v. 29 ha-  
bentur, quicquid de Gordio scribat Basilius in  
Homil. de Gordio Martyre. Non est notum,  
ait Hieronymus in Ionam, mortē intuerere  
sed illatam ab aliis accipere libēter. Nec enim  
est Martyr Dei, qui seipsum occidit Aug. ad  
Gaudentium. Et certē, qui se temerē offert pe-  
riculo, tentat Deum, nec est prudens, sed quo-  
dammodo homicida sui.

CAP. XLVI.

*De ijs qui ERRARVNT in disputatione  
de Confessione de Deo.*

**E**RRANT Valentiniani & Gno-  
stici, qui putant nunquam marty-  
rium esse pro nomine Christi sus-  
cipiendum, quia contra ipse pro  
nobis est mortuus, nos autem inquit, pro eo  
mori non debemus. Errant Nouatiani, qui  
putant eum, qui semel Christū negauerit, am-  
plius veniam à Deo impetrare non posse.  
Errant Hellesiatē, qui negant nobis pro Chri-  
sto esse moriendum, quia ille potius pro no-  
bis sit mortuus: nos autē pro illo moriētes ni-  
hil illi conferamus, quos refutauit Origenes.  
Hunc errorem hoc nostro seculo renouauit  
Coornhartius quidam Hollandus, qui veros  
Christianos consentire posse bona conscientia  
idolo-

idololatriis etiam scripto addito impiissime  
contendit. Errant Pseudonicodemitæ, qui se  
dicunt reservare animum suum Deo: sed cor-  
pus Diabolo & idololatriis dedicant & do-  
nāt, dum idololatricis cultibus & blasphemiis  
interfunt.

FINIS.

*Laus Deo.*

